

PALAESTRA LATINA



ANN. XL (Fasc. I) — N. 209
M. MARTIO — A. MCMLXX

PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii Caesaraugustae edendi

Praeses: J. M. Ciller, C. M. F. *Administrator:* Henricus Arenas, C. M. F.
Moderator: Marianus Molina, C. M. F. *Curator technicus:* Jesus Aspa, C. M. F.
Praecipui scriptores: Josephus M. Mir, C. M. F.; Josephus M. Jiménez, C. M. F.

Pretium mittatur oportet ad administratorem:

San Antonio M.^a Claret, 9 — ZARAGOZA (España)

Scripta ad moderatorem: Colegio Menor, CALATAYUD (Zaragoza - España)

Constat in Hispania et America Hispanica: 80 pesetis; in Gallia: 10 francis; in Italia: 1.200 libellis; in Germania: 8 marcis; in Anglia: 15 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus

Depósito legal Z. 191. - 1966

Editur Ordinarii et Superiorum licentia

I N D E X

ANN. XL (Fasc. I) — N. 209

M. MARTIO — A. MCMLXX

A. GRISART, <i>De viis ac rationibus quibus aetas puerilis per linquam et scriptores latinos ad humanitatem iniformanda est vel oratio adversus vias novas linguae latinae in scholis me- diis discendae et tradendae</i>	1
T. CIRESOLA, <i>Urbinas peregrinatio</i>	13
J. M. MIR, C. M. F., <i>Ciceronis specimina</i>	19
G. WALLNER, <i>Horis subsicivis: Sucus singularis</i>	31
BIBLIOGRAPHIA, J. M. Mir, C. M. F., M. Molina, C. M. F., J. As- pa, C. M. F., P. Herranz, C. M. F.	37

PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII

A SOCIIS CLARETIANIS EDITI

ANN. XL (FASC. I) — N. 209

M. MARTIO

A. MCMLXX

De viis ac rationibus quibus aetas puerilis per linguam et scriptores latinos ad humanitatem informanda est vel oratio adversus vias novas linguae latinae in scholis mediis discendae et tradendae (*)

Quaeritur a nobis quibus modis pueri puellaeque linguam latinam optime doceantur. Mihi autem videntur pueri puellaeque non tam *de* lingua latina *edocendi* quam *per* linguam latinam *educandi* esse in iis saltem scholis quae vulgo «humanitates» vel «humaniora» optimo jure appellantur, quia pueros «humaniores» efficere cupiunt et ideo utuntur «iis artibus quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet», ut ait Cicero in oratione pro Archia poeta (4).

Quam sententiam in primo Conventu Vitae Latinae jam satis probavisse mihi videor, cum illud Eduardi Herriot dictum illustrabam: «*Hominis cultura est id quod restat cum omnia oblitus est*» **. Quod praeclarum dictum plerisque jocosum modo paradoxon viri doctissimi apparere solet, mihi autem cum humanae culturae optima definitio tum puerilis educationis firmissimum fundamentum. Quid enim homo excultus oblitus est? Cognitiones vel notitias; quid

* Quam dissertationem Prof. A. Grisart, grammaticus latinus et graecus Viroviaci Eburonum (Verviers) in Gallia Belgica et olim in Universitate Laval (Québec) in Canadia, dixit in IV° Congressu Vitae Latinae die 2 m. Aprilis anno 1969 Avennionem habito et nobis benevole misit.

** Hanc quoque dissertationem «De veris causis et majoribus et minoribus ob quas lingua latina discenda est et de optimis viis rationibusque quibus in scholis mediis tradenda est», lectam in 1.° Congressu Vitae Latinae die 2 m. Septembri anno 1956 Avennionem habito, *Palaestra Latina* edidit.

autem restat, cum eas oblitus est? Animi virtutes. Virtutes igitur puerilis animi exercere et acuere officium praecipuum est grammatici, cognitiones autem tradere et praebere munus secundum existimandum est.

Nam his studiis id praesertim petitur et efficitur, ut puer tandem adolescentulus fiat completus et aeque libratus nec tam eruditus quam peritus nec tam instructus quam constructus nec tam institutus quam formatus et firmatus nec tam ad universitatem quam ad vitam atque, ut crebro et optime dicitur, «capite non tam bene pleno quam bene conformato praeditus» vel aliter et familiariter stomacho non repletus cibo omnis generis sed capaci quemlibet cibum digerendi et concoquendi vel denique ut magni sit potius quam magna habeat vel franco-gallice «qu'il soit quelqu'un avant et afin d'être quelque chose».

Pueritia enim aetas peridonea est nondum ad metendum neque praecipue ad serendum sed proprie ad agrum colendum et imprimis ad terram arandam et ad sulcum altius imprimendum. Disciplinarum autem omnium quibus «humanitates» compositae sunt suum quaeque munus quasi proprium habet et docet et colit optime, id est melius quam ceterae: litterae latinae cogitandi dilucide, graecae disputandi acute, scientiae mathematicae argumentandi in abstracto, naturales observandi distincte, artes technicae laborandi callide, operariae molendi certe, vel, ut aliter dicam, mentem efficiunt litterae latinae constrictam, graecae subtilem, scientiae mathematicae logicam, naturales sinceram, artes technicae ingeniosam, operariae sollertem. Quae omnes virtutes inter se nullo modo adversantur, at optimo jure complent: itaque verae humanitates non ex litteris *vel* ex scientiis *vel* ex artibus constant, sed ex litteris *et* ex scientiis *et* ex artibus¹.

Linguae ergo latinae in scholis mediis tradendae quae est intentio *praecipua*? Non ut linguam latinam, non ut cultum romanum, sed ut recte et clare cogitare et dicere et agere discant pueri in omni sermone et de quavis re. Lingua sane latina et cultus quoque romanus, id est historia litterarum, philosophiarum, scientiarum, artium, institutionum romanarum, haud contemnendi vel neglegendi sunt, consilia tamen secundaria potius quam fines primi putandi sunt: latinum non

1. Praeterea in talibus humanitatibus Graecum a Latino separari non potest: nam omnibus in vita opus est mente simul constricta et subtili, quae cumque opera facturi sunt; id de ceteris quoque virtutibus et disciplinis dici potest et debet. Ad tale consilium implendum opus est unicuique disciplinarum horis non tam multis quam omnino et optime adhibitis, id est in quibus intente elaboretur a discipulis qui et possint et velint.

tam ut lingua vel ut doctrina discenda est quam ut disciplina exercenda, id est non tam ut consilium et finis quam ut instrumentum et modus adhibendus; grammatico autem latino non tam sententiae latinae quam ars sentiendi tradenda est ².

Quibus opinionibus repugnant hodie professores multi qui *vias novas* instituunt ad linguam latinam non solum in conventibus adhibendam, sed etiam in scholis mediis tradendam. Errant illi primo in eo ipso quod res romanas ante virtutes humanas praeponunt, deinde quod vias et rationes linguarum hodiernarum, praesertim germanicarum, in linguis antiquis tradendis et discendis usurpari jubent, denique quod proponunt «quomodo» pro «quid» et «quid» ante «cur discendum sit» vel franco-gallico sermone «ils placent la «manière» avant la «matière» (la méthode avant le contenu) et la «matière» avant le «but» du cours».

Nam primo, quod ad *res* pertinet, si *prima* intentio et finis *praecipuus* esset cultum populorum antiquorum tradere, id celerius et brevius et commodius fieret sermone patrio puerorum et magistrorum et per doctores non linguarum antiquarum, sed vel historiae vel ceterarum disciplinarum, tanquam introductio historica ad eas disciplinas, neque opus esset tot annos tot laboribus linguam difficillimam ediscere: quod demum expetunt adversarii nostri ³.

Deinde, quod ad *linguam* pertinet, *non eodem consilio* linguae traduntur hodiernae atque antiquae: hodiernas enim idcirco pueri

2. Dixi ego latinum non tam ut finem quam ut modum adhibendum esse, id est non tam interesse discipulum bene latine scire quam recte cogitare; attamen, tamquam modus, latinum primum habendum est non sane in ordine finium, sed certe in ordine temporum: latinum enim novisse et rationaliter novisse primum instrumentum est ut puer recte sentiat in omni sermone, sive latinus sive patrius sive alienus est.

3. Dixi ego *hominis culturam* non praecipue esse *hominum cultum*; sic tamen loquendo non tam «cultum» a «cultura» secerno (Cicero ipse utrumque vocabulum eodem sensu usurpare solet) quam cognitiones a virtutibus tanquam finem primum ac praecipuum puerilis educationis; deinde tantum abest ut cultui romano adversarius sim ego ut hoc proponere audeam de cultu Romanorum (idem valet de Graecorum): ut primo in universitatibus scholastici «classici» de eo penitus edoceantur (quod in patria mea non ubique fieri solet, etiam cum id in ratione studiorum inscribitur), deinde in scholis mediis pueri duarum vel etiam trium ultimarum classium ex horis quinque quae in patria mea linguae utriusque antiquae adhuc conceduntur unam totam unice de cultu Romanorum erudiantur, sed patrio sermone per translationes et libellos breviter contractos ex libris Petri Grimal, Henrici Paoli, Hieronymi Carcopino vel aliorum, si tamen discipuli nobis praebeantur qui discere et cupiant et possint ita ut per quattuor reliquas horas in lingua et scriptoribus latinis penitus elaborare queant. Addo quod in patria mea discipuli sectionis illius quae «latina-scientifica» vocatur in duobus ultimis annis

discunt ut legant, audiant, scribant, dicant recte et facile, antiquas autem ut rationaliter et subtiliter cogitare et dicere et agere queant: nam, ut supra dixi, sermones antiqui non tam ut linguae discuntur quam ut disciplinae exercentur. Ergo, quae in antiquis primas agunt partes —dico exercitationem virtutum—, ea in hodiernis secundas tantum sustinent; rursus invicem, quae in antiquis secundas —dico comparationem cognitionum—, ea in hodiernis optimo jure primas obtinent.

Qua ex distinctione consequitur ut *plane dissimiles* esse debeant hodiernarum atque antiquarum *viae ac rationes*. Sic oportet discipulum *primo vocabula et sententias et locutiones* in hodiernis statim et continuo in sermone ipso alieno usurpare et iterare, in antiquis autem patienter inquirendo plane intellegere et explicare, atque ideo *conversionem* ex alieno sermone in patrium sermonem in hodiernis quam minime, in antiquis autem quam plurime adhibere; *deinde grammaticam et analysin* grammaticalem et logicam in hodiernis tantum ex usu et per occasionem transitu attingere, in antiquis autem ordine et ratione exercere; *tertio locos* ex scriptoribus detractos in hodiernis multos et varios summam et leviter per intuitionem quam dicunt praesentiendo et suspicando percurrere, in antiquis autem paucos et selectos accurate et subtiliter per inductionem quam dicunt ratiocinando et inducendo perscrutari; *quarto scriptores* in hodiernis a principio ante ipsa vocabula et grammaticam et syntaxin celeriter et cursim legere, in antiquis autem tardius post vocabula et grammaticam et syntaxin et analysin lente et strictim explanare; *postremo cultum ipsum* et ea quae hodie «*realia*» et «*centra rerum eodem pertinentium*» vulgo nuncupantur in hodiernis diligentissime explorare ad cultum populi alieni cognoscendum, in antiquis autem moderate adhibere ad scriptores explanandos, atque denique, ut summan breviter contraham, in hodiernis

scholarum mediarum per unam horam de cultu Graecorum docentur, at non discipuli illius sectionis quae «*graeco-latina*» appellatur.

Certamen vero illud quod hodie instituitur inter virtutes humanas et res romanas aliud certamen renovat quod saeculo praecedenti exortum est inter philologiam et historiam: tum disputabant docti acerrime de «*antiquitatis scientia*» (Altertumswissenschaft) et de «*philologia*», utra finis ultimus esset studiorum sectionis «*classicae*» in universitatibus (atque etiam in humanitatibus). Haec quaestio mihi quidem vana quaestio esse videtur, quoniam historia philologiae servit cum de textu statuendo et interpretando agitur, philologia autem historiae servit cum de eventibus et causis et effectibus statuendis agitur; ista tamen controversia intervenire pergit cum hodie disputatur de finibus et consiliis primis et secundis linguae et cultus tradendi in scholis mediis: nam non multum interest inter «*antiquitatis scientiam*» et «*antiquorum cultum*».

alienorum linguam et mores novisse, in antiquis autem suum ipsius ingenium acuere.

Quamobrem analysis in hodiernis longe minoris, in antiquis autem multo majoris momenti haberi solet et debet. *Analysis* autem et *synthesis* inter maximas viri virtutes ducendae sunt, propterea quod in vita cuilibet adulto ad quaelibet opera conficienda in quibuslibet litteris, scientiis, artibus quotidie omnino necessariae et maximo usui sunt: itaque in linguis antiquis tradendis et discendis analysis et synthesis plurimum colendae et exercendae sunt non solum tanquam viae ac rationes ad doctrinam atque disciplinam ipsam acquirendam, sed etiam tanquam fines et causae ipsae tradendi et discendi; in hodiernis autem tantum instrumenta auxiliaria habentur ad linguam perdiscendam et ad populum cognoscendum.

Analysis tamen non est artificium illud quo grammatici omni tempore scientiam suam potius illustrare quam pueris lumen praebere solent et res notas per ignotas et dilucidas per obscuriores explanare, id est concreta scriptoris verba vocabulis in abstracto positis mutare, quae ipsi nonnumquam falso sensu usurpant, pueri autem saepe non intellegunt atque ideo ne conantur quidem jam quaerere quid scriptor dicere voluerit, quia a magistris adsuefacti sunt ut in loco scriptoris verborum ea vocabula in abstracto posita requirant quae in illo «codice terminologiae grammaticalis» continentur qui in patria mea grammaticis et discipulis imponitur; vera autem analysis non ista est, sed diligens investigatio qua pueri verba et sententias et locutiones dissolvunt, effodiunt, persecant eo consilio, ut cogitationes et res ipsas sub vocabulis latentes penitus comprehendant, nedum eas obliviscantur vel neglegant, verba et sententias et locutiones inquirendo: ita horologiorum refector, dum tiro est, horologia dissolvendo et dissoluta elementa iterum componendo artem suam discit.

Synthesis deinde non est ars illa qua antiqui scriptores vel inter se vel cum recentibus comparari solito jubentur, cum tamen utrorumque aliquot tantum locos pueri interpretati sint: ne sutor supra crepidam! Vera autem synthesis est aptissima conversio ex antiquo sermone in patrium, quae ex profunda comprehensione gignitur et tantum post diligentem analysin effici potest et debet: synthesis enim quae «globalis» dicitur omnino subjectiva et libidinosa est; itaque, ut objectiva et vera fiat, diligenti analysi praeparanda est vera synthesis.

Haec tamen *aptissimae conversiones* quae a pueris exigendae sunt nullo modo cum iis conferendae sunt quae olim «pulchrae infideles»

nuncupari consueverant et nostro quoque saeculo nimis saepe heu! usurpantur a pueris et a magistris praesertim ab iis —sive philologi sive grammatici sive rhetores sive scriptores sive poetae sive sapientes sunt— qui conversiones novas edunt non solum ad usum adultorum profanorum sed etiam magistrorum atque ipsorum quoque puorum: nam addunt, detrahunt, mutant cum vocabula et sententias tum cogitationes et stylum non solum in minimis sed etiam in maximis rebus; «prope» et «fere» et «circiter» quasi deos colunt: quod pueris pessimo vitio verti solet, id sibi optimae virtuti tribuunt; sic non inviti sed libentes ac laeti «ex traductoribus traditores» fiunt et proverbium illud italicum «traduttore traditore» non experimentum tristissimum sed exemplum maxime imitandum habent. Si quis enim conversionem edit, necesse est eam conversionem aliam esse atque praecedentes conversiones: sic novitati singulari multo magis student quam veritati candidae; illis ergo, etiam optimo cuique, aptissima conversio haec esse videtur: primo quam novissima, deinde perelegans, postremo fidelis, si quid posthac restat; at nostris discipulis non ita habenda est, sed primo quam fidelissima, deinde elegans, tertio demum non vero nova, sed modo propria, quantum fieri potest: nam non ut artifices transferre debent pueri, id est ut oratores et poetae, qui optimo jure adaptant et imitantur potius quam vere convertunt, sed ut opifices tirones, qui munus suum, modestum sane, sed efficax, probissime exercent, id est munus fideliter transferendi vel aptissime convertendi.

Prius igitur quam convertat in patrium sermonem aptissime, alumno *structura* reperienda est diligenter vocabulorum, locutionum, sententiarum eo consilio, ut ossa atque *σκελετόν*, id est architecturam et situm et positum, dilucide perspiciat earum rerum et cogitationum quas scriptor complexit et aggregavit; deinde «*translatio litteralis*» facienda est, id est verbum pro verbo reddendum, non tamen barbare, sicut in iis translationibus fieri solet quae «juxtalineares» vocantur, sed recto et emendato sermone patrio; denique «*translatio litteraria*» componenda et redigenda est, aliis, si opus est, vocabulis et locutionibus et sententiis, quam elegantissime potest vernaculi sermonis rationem et ingenium observando et scriptoris latini verborum ordinem animadvertendo, eum dico ordinem quo scriptor antiquus singularem significandi vim exprimere sibi proposuisse videtur: in hac ultima translatione, quae aptissima conversio dici potest, exsuperanda sane et transilienda est prima conversio qua verbum e verbo exprimitur, ita tamen ut non casu id prospere eveniat sed consulto et ut prius *per* verba traiciat et traducat, non *juxta* verba... et sensum praetereundo, et tandem ut

pars maxima et optima commentarii, quod ad grammaticam et ad stylum nec non interdum ad historiam et ad «realia» pertinet, in hac aptissima conversione servetur; ergo «primum... cogitare, deinde... dicere», id est primum optime intellegere, deinde optime convertere, ut *fidus interpret* solet et debet⁴.

Conversiones autem quae eduntur ad usum vel adultorum profanorum vel grammaticorum et rhetorum vel etiam discipulorum scholarum superiorum vel mediarum non aptae sunt ut eas imitando discipuli nostri ad humanitatem informentur: nam id tantum spectant translatores in iis conversionibus, ut summam significant quid scriptor latinus vel graecus dicere voluerit; puero autem qui scriptores latinos et graecos convertere iubetur hoc praecipue spectandum est, non ut cognoscat et discat quid scriptor antiquus dixerit —ad id enim editae translationes sufficiunt—, sed ut, dum per certamen illud linguisticum ardens cum scriptore antiquo comminus pugnat, illius virtutes suas ipsius faciat et scriptor translatorum vera «auctor» fiat et puer praeterea virtutem pretiosissimam et difficillimam exercent probitatis intellectualis et moralis: non suas ipsius

4. Translatio tamen quae cursiva appellatur atque etiam lectio cursiva non omnino abiciendae sunt, at non semper neque etiam saepe sed interdum et moderate adhibendae et exercendae sunt vel ad excitanda studia eo consilio, ut pueri suis viribus magis confidant, vel tanquam praemium et remissio. Cicero sane et Horatius et Hieronymus aliter sentire videntur, qui suadere cupiunt ne verbum e verbo exprimatur in conversionibus. Nam Cicero in libro *De finibus bonorum et malorum* (III,4) ita scribit: «Nec tamen exprimi verbum e verbo necesse erit, ut interpretes *indiserti* solent»; sed idem Cicero in libro *De optimo genere oratorum* (23) confitetur non ut interpretem sed ut oratorem se auctorem suum, Demosthenem, transtulisse. Item Horatius in *Arte poetica* (131) scribit:

Publica materies privati juris erit si
 non circa vilem patulumque moraberis orbem
 nec verbo verbum curabis reddere, fidus
 interpret, nec desilies imitator in artum
 unde pedem proferre pudor vetet aut operis lex;

sed constat poetam hic poetae jus defendere liberae imitationis, quae demum fidae interpretationi opponitur; praeterea Horatius ipse hic confitetur «fido interpreti» curandum esse ut «verbum pro verbo reddat». Denique Hieronymus, qui Scripturas sanctas in sermonem latinum ex hebraico vel ex graeco transtulit, rogat in epistula quadam (LVII, 5, *Patrologia Latina*, XXII, p. 571) ut sibi interdum liceat non verbum pro verbo reddere, ut semper facit; at hic tantum jura expetit elegantiae latinae adversus eam consuetudinem quam nos translationem juxtalinariam appellare consuevimus, ne exempli gratia «stridorem Hebraicum» in lingua latina servare cogatur.

sententias in loco scriptoris ponere, sed res obiectas quam diligentissime perspicere et «characteres» quam verissime sermone patrio reddere non solum cogitationum et sententiarum sed etiam verborum atque ipsius styli ita ut scriptor translatori auctor fiat, ut dixi, non translator scriptori, et ut translator auctorem re vera suum faciat, non se ipsum scriptorem novum faciat. Puer enim erga scriptorem identidem se gerere debet ut olim logographus erga patronum solebat et suam ipsius personam non extollere, at maxime oblivisci, ut patroni personae quam maxime serviat et quasi nubat: sic ipse, quasi praegnans ab auctore, partum geret atque personam novam in se ipso efficiet.

Translatores contra hodierni miro modo agere mihi videntur. Nam primo, si quid est difficile comprehensu vel translato, «aporiā» circumeunt et quasi eludunt vel paraphrasi vel periphrasi cujus sensus incertus est. «At, dixerit quispiam, grammaticus vel rhetor cum pueris locos tantum aliquot transfert: ergo ei otium est ad transferendum lente et penitus; illi autem longa et multa opera transferunt: itaque iis necesse est celeriter et summam convertere». Quis eos cogit tanta et tot opera tam celeriter in sermonem patrium traducere? «De minimis non curat praetor», respondetur; at praetor elegit et designat alium ad decernendum de iis rebus quae ipse iudicare non dignatur: cur non et ipsi jubent vel saltem sinunt alium, vel discipulum suum, convertere, cui plus otii vel temporis vel curae est? Nam cur tandem doctor peritissimus cujusdam scriptoris advocetur et elegatur ad convertendum, nisi ille auctorem suum melius et magis penitus tractet quam grammaticus et pueri scholarum mediarum? Hos, qui honestissima cum religione apud illum difficultatum solutionem quaerunt, ille in angores novos praecipitat. Deinde translatores illi hodierni in praefatione sua asseverant se stylum religiose observavisse et servavisse scriptoris latini vel graeci, sed re vera suum ipsorum stylum colunt: quod dilucide apparet cum idem translator diversos scriptores latinos vel graecos in patrium sermonem convertit. Denique iidem saepe libros ad grammaticam vel stylisticam tradendam edunt, in quibus excellentissima praecepta magistris et pueris praebent ad locos et sententias et scriptores latinos vel graecos intellegendos et reddendos, atque differentias et distinctiones et colores tam strictim discernunt ut quasi peccatum mortale videatur ea non perspicere et servare et reddere in sermone patrio; at. cum ipsi convertunt in patrium sermonem scriptores, locos, sententias, locutiones, vocabula, omnino neglegunt eas differentias, velut si ipsi supra eas leges essent quas optimo jure edixerunt, quia fide-

litatem elegantiae et novitati postponunt: num illae distinctiones tantum ad commentarium pertinent, non ad translationem? Mihi tamen, quicquid cogitationem et stylum scriptoris antiqui melius et magis penitus intellegere cogit, in translationem servari debere videtur et, quantum fieri potest, sermonem ipsum patrium locupletari sic ut scriptor revera auctor fiat, id est ut lectores augeat, non a legentibus augeatur, quod saepissime fieri solet. Tria autem sunt quae inter se stricto ordine sequi debent nec ullo modo confundi possunt: primo quid scriptor dixerit, id est conversio in patrium sermonem; deinde, quid scriptor dicere voluerit, id est commentarius, quo explanatur non solum quid scriptor significare in animo habuerit, sed etiam quomodo et quare id dixerit et ita dixerit et eo loco dixerit; tertio quid de iis omnibus rebus hodie censi possit vel debeat, id est iudicium. Conversio autem et commentarius et iudicium nimis saepe in translationibus editis confunduntur sub nomine uno conversionis: hoc vitium maximum a nostris discipulis diligentissime arcendum est.

Sed jam satis de aptissima conversione disputatum est, quae mihi vera synthesis et ideo maximi momenti habenda esse visa est, viarum autem novarum fautoribus minoris atque etiam parvi momenti. *Grammaticam* deinde et *syntaxin* iidem viarum novarum fautores solum per occasionem locorum et scriptorum attingi iubent in antiquis scriptoribus sicut in hodiernis. Hae sane disciplinae studendi et laborandi pueris tantum idcirco discendae sunt, ut scriptores facile legantur et intellegantur, sed ob eam ipsam causam prius exponendae et exercendae sunt quam scriptores explanentur: ne aratrum ante boves! Non certe cunctae regulae et exceptiones tradendae sunt, verum modo elementa, immo principia sola, styli etiam potius quam grammaticae et syntaxis, sed ea firmissime perdiscenda et ediscenda ordine et ratione, non tamen dogmatice nec per deductionem, sed systematice et per inductionem. *Grammaticam* certe et *syntaxin* et *analysin* nos olim pueri nimium et nimis mature et nimio ordine didicimus, pueri autem hodierni, viis novis volentes nolentes adstricti, parum et nimis tarde et nullo ordine discunt: nonne recta via est eas artes satis et satis mature et ordine satis lucido tradere et discere? Non multa, sed multum: «est modus in rebus».

In sermonibus enim antiquis discendis et tradendis, si non paginas centum celeriter et summatim legit puer, sed tantum paginas decem lente et penitus explorat, finis et consilium discendi expletur, id est ars sentiendi et dicendi; in hodiernis autem, si decem tantum paginas explicat puer pro eo ut centum legat, non satis linguae dis-

cit et ideo destinata non ferit et finem praecipuum non obtinet, qui est linguam alienam discere et populum alienum cognoscere. Aliis sane temporibus, exempli gratia Renascentis Antiquitatis, magistris fortasse licuerat a scriptoribus latinis initium capere: nam eorum discipuli strictim selecti erant et per decem in die horas linguae latinae operam dabant, id est quinque sub magistro, quinque per se ipsos laborantes (ex his quinque unam dimidiam horam ad sermonem patrium exercendum: sic Iohannes ipse Racine XVII^o saeculo laborare solebat puer); grammaticam tamen et syntaxin et analysin non neglegebant: nam numquam de iis rebus tantum disputatum est quantum illis temporibus. Quid autem de hodiernis discipulis? Quid de horis quae Latino adhuc conceduntur?

At denuo iidem viarum novarum fautores praedicant oportere non verba sed rem tenere, id est per scriptores romanos populi romani cultum et mores et vitam etiam quotidianam explanare atque, ut in linguis germanicis tradendis liber inscribitur «L'allemand et l'Allemagne par les textes», ita «Latinum et Latini per locos» inscribendum esse et tradendum et discendum. Attamen ex antiquis non antiquum, non novum quaerendum et petendum est, sed humanum; deinde, si loci et scriptores latini tanquam documenta cultus romani vel etiam humani adhibenda sunt, necesse est pueros ea documenta per se ipsos convertere posse in sermonem patrium atque ideo linguam ipsam latinam, id est vocabula et grammaticam et syntaxin, ante novisse quam scriptores legant et intellegant; si non ipsi convertunt sed magistrum convertentem audiunt vel translationes editas legunt, non opus est linguam ipsam discere: quod demum expectunt denuo adversarii nostri.

At aiunt viarum novarum fautores utrumque simul agi posse, id est scriptores latinos adhibere et tanquam instrumenta ad linguam latinam discendam et tanquam documenta ad cultum Romanorum cognoscendum; re vera, ut aiebant antiqui, «uno in saltu apros capere duos» vel «simul flare sorbereque haud facile factu» vel, ut hodie dicitur, «qui lepores duos captat, is neutrum capit»: ergo non simul, sed unum post alterum! Ii sane qui linguarum antiquarum doctores futuri sunt locos et scriptores latinos tanquam documenta adhibere possunt in universitatibus, quia jam antea latine sciunt vel scire existimantur, sed pueris, qui suum patrium sermonem saepe non satis tenent, prius latine discendum est quam documenta latina usurpare possint: nam lingua latina pueris multo difficilior est quam lingua germanica, etsi de ea re plane dissentiunt doctores nimis docti de lingua et scriptoribus et rebus romanis, parum docti de pueris: ludunt ipsi latino Plautino vel Taciteo vel etiam

Viventi, sed numquam pueros 12 vel 18 annos natos de primis elementis vel de ultimis docuerunt.

At contendunt viarum novarum fautores fabricando fieri fabrum et, sicut futurum natatorem in aquam, sic discipulum in medias res... Romanas statim proiciendum esse; quod quidem iter optimo cuique ingenio forsitan aptum esset, quia talibus ingeniis vere non solum non via sed ne magister quidem opus est; at non mirum est plerisque nostrorum discipulorum sic natando celeriter et penitus submergi aquis romanis.

Postremo ii qui paedagogiam novam et imprimis «centra rerum eodem pertinentium» insectantur asseverant id maxime referre quod ad pueros ipsos pertinet et puerorum ipsorum interest vel etiam quod ipsi pueri ad se pertinere et sui ipsorum interesse putant atque ideo, quod eos ad studium allicit, id potissimum praebendum et eligendum esse,

ut pueris olim dant crustula blandi

Doctores, elementa velint ut discere prima,

quemadmodum Horatius ait in primo Sermonum (I, 1,25-26).

Quod ad pueros pertinet et puerorum interest, id quidem referre atque etiam multum referre et multo magis referre ad eligendam materiam quam id quod magistrum ipsum allicit, quis negat? At *maxime* referre, id ego non concedo. Nam «quid» non ante «cur» ponendum est; deinde omnia ista verba «interest», «pertinet», «centrum», ambigua sunt nec eadem significant: nam «centrum earum rerum quae in eundem locum concurrunt» est tantum «centrum earum rerum quae de eadem re agunt» vel etiam «centrum earum rerum quae sub eodem vocabulo agitari possunt», exempli gratia de optima re publica, de libertate ac servitute, de voluptate ac felicitate et de aliis ejusdem farinae; sed talia centra non eadem sunt atque «centra earum rerum quae pueros delectant et alliciunt ad studendum» neque eadem atque «centra earum rerum quae et colere et novisse puerorum interest» neque «a fortiori» eadem atque «centra earum rerum quae novisse et coluisse intererit cum pueri seniores facti erunt»; sensus autem omnes latent sub eodem nomine qui franco-gallice dicitur «centre d'intérêt» et tam ambiguum est quam nomen ipsum «intérêt»; ea tandem diversa centra non fines et proposita et consilia haberi possunt disciplinarum tradendarum, sed tantum modi et instrumenta ne ad alliciendos quidem animos puerorum, sed solum ad colligendas cognitiones vel notitias quae sub eundem titulum vel etiam sub idem vocabulum convenire vel colligi possunt: porro colligere atque etiam res ipsae collectae neque centra neque consilia existimanda sunt.

Postremo quid «ad pueros pertinet» magis? Utrum crustula et condimenta an panis et caro? Utrum id quod eos delectat antequam didicerint an id quod per totam vitam eorum intererit postquam didicerint? Utrum puero jucundissima an viro futuro maxime necessaria? «Sit liber studiis salubrior quam dulcior», respondit jam Quintilianus (III,4,I); bonus quidem magister, cum materiam utilissimam elegerit, eam quam gratissimam reddere conabitur, sed ipsa materia non voluptatis sed utilitatis causa est elegenda.

(Proximo fasciculo sequetur atque finietur haec disputatio).

ALBERTUS GRISART

in Atheneo Regio Viroviaci Eburonum Professor

67, avenue de Thiervaux, HEUSY-VERVIERS, Belgique.

URBINAS PEREGRINATIO

Carmen

*in Certamine poetico Hoeufftiano
magna laude ornatum*

Collibus ut geminis, Urbinum, extolleris, altum
tamquam si properes quam primum visere caelum,
ac totum cupias perfundi lumine solis!
Hic sinuosa domus veteres via scindit utrimque
acclinisque petit, sensimque excelsius urget,
culmina contingat citius quo summa viator,
unde patent visus oculorum longius acres.
Quin et aperta nitet multo exornata fenestra
flore, vias late grato qui spargit odore.
Dulcis at interea vox exaudita canentis,
interiore domo dum tractat pensa, puellae
corda repente movet, gressusque ita sustinet hospes
ante fores, quo laetitiam magis hauriat inde.

Immotum hic tempus, minime fluxisse videtur.
Tecta, vias, necnon homines ita protulit aetas
immutata, sibi similes huc usque per aevum.
Cujus in ore vides fugitiva micare puellae
lumina, vix Raphaelis eam liquisse tabellas
credideris, quibus aeternum producit aevum.
Purus et intactus rerum nitor exstat ubique
praeteriti nulla velatus temporis umbra.
Ardua sed postquam collem via contigit altum,
hic plateam videas miro splendore patentem.
Suppositis gradibus nitidas assurgit in auras
quae divina sacris addicta est ritibus aedes,
supplicibusque piae turbae sonat intima votis.

Quam juxta domus ingenti stat mole superba,
 aetatis fusco praelongae obducta nigrore.
 Marmoreae postes huic fastigantur in arcum
 et stridente fores versantur cardine ahenae.
 Inde breves camuro superas si fornice fauces,
 area dein, inopina prius, tibi panditur ampla,
 finit et exornat quam altis suffulta columnis
 concinno inter se discretis porticus arcu.
 Non hominum domus haec, potius sed sacra deorum
 aula putanda, nitet sculpto quae marmore tota.
 Huc animo fingas descendere milite saeptum
 conspicuum naso Fridericum ex ore cavato.
 Aurata post veste gradus Baptista decora
 passibus aequa terens, lente delabitur uxor,
 pulchra puellarum sequitur quam rite caterva,
 florida ubi belle coma jungitur aurea nigrae.

Adveni tamen hanc claram peregrinus in urbem
 non ut facta ducis repetam, cui bellica virtus
 aeternam laudem peperere et munera pacis,
 non ut mente pia, Raphael, tua tecta revisam,
 cujus perpetuo tabulae afficientur honore,
 multa dolens genus humanum dum sole fruatur.
 Nec tua nunc, Donate, vagus vestigia sector,
 mira qui arte aedes superas extollis ad oras.
 Hic puerum quaero timido cui dulcis oberrat
 risus in ore, genae roseoque pudore rubescunt,
 blanda sed interdum radiant quid lumina maesti.
 Te memor hic quaero vix prima aetate vigentem,
 mitis Ioannes, omnis cui terra canenti
 ipsa dedit vocem. Rerum nam discere sensus
 unus eras doctus: cur primo mane niteret
 e foliis pendens nocturni stillula roris,
 umbrosa quid avis garriret in arbore laeta,
 laetitiam flores vario cur germine ferrent,
 quae vox e tumultis exiret blanda tuorum,

aeterna fruitura tuo post carmine vita.
Sollicitus rerum species percontor inanes,
ut tua, qualis erat, redeat mihi mitis imago.
Si, quibus ipse puer laetae jam somnia vitae
dulcia condebas, viso haud improvidus aulas,
te manibus tueor vates tractare latinos.
Vergilius comes est sacrarum in monte sacerdos
Musarum, atque docet te carmen Horatius ipse.
Quapropter proprios conaris condere versus.
Suspicias alta silens aulae laquearia, primos
deinde seris charta quodam cum murmure sulci
quos grato Musae dederunt tibi munere versus.
Inserto digitis calamo haec nigra semina glebis,
candida quas servat proscissas pagina, mandas.

Ad procul interesa fugitivis labilis alis
avolat hinc, dulcemque petit mens sedula terram,
qua pater et natis sollers implumibus escam
comparat, atque suo nidum sub fronde tepore
aeria refovet contextum provida mater.
Prata juvant memorem liquidis circumlita rivis,
errantes teneris quos frondibus ulmus opacat!
Aufugit ante malas messorum exterrita falces
atricapilla suis exstructum linquere natis
nuper humi nidum demessa ob fena coacta.
Oblatam in stabulis lentus bos ruminat herbam.
At medium sol in caelo cum fervidus orbem
attigit, arbor humi demittit languida frondes,
agricolae lassi repetunt tunc tecta labore.
Felix ut pueris laete circumdata ridet
mensa, nitent quorum ut flores vaga lumina verni!
O Romaniola, ut memori sub corde recurris
semper Ioanni, qui te prope diligit unam!

Frugibus et cultu patriae sed terra videtur
haec similis, pratis discreta et pinguibus arvis.

Ergo animis simul ac conceditur hora remissis,
tunc placet angustis excedere moenibus urbis
frugiferas petere atque obliquo tramite valles
cum sociis, vel summa attingere culmina collis.
Caeruleis caeli splendorem haurire videris
luminibus. Nunc per spatia infinita vagaris
nec tamen ignoras quae in mundo grata gerantur.
Quo vero properat niveo velamine nubes
exornata mari surgens? Cur ruris alauda
triticeum gleba infossum granum arripit, atque
in caelum volat atque serit vaga cantibus auras?

Interea socii miscent risusque jocosque,
ac modo concordi procedunt agmine densi,
in varios coetus modo spargitur inde caterva.
Ast procul amota sequeris quasi mente sodales
et quod fallit eos loca contemplaris amoena.
Proscissis glebis hic semina condit arator,
dum catus e ramis operam miratur, et escam
optatam sperat passer sibi posse parare,
occatum rostro si agrum rimetur acuto.
Ne nimis effossae sint credita semina terrae,
heu, fortasse times, inopi metuisque volucris.
Quae per rura vides lente progressus amoena,
omnia suppeditant suaves tibi pectore sensus,
atque animi species pariunt, quae carmine fictae
deinde tuo poterunt hominum recreare dolores.
Arbutus et raris et multis fagus opaca
frondibus, et tenui quae pendet aranea filo,
quae sollers apis aut per florea rura vagatur,
aut munire favos properat vel condere ceras,
flatibus et zephyri lente quae flectitur herba,
et qui vere novo tepidis flos panditur auris,
haec memor instincto Mysis sub pectore servas
quae celebrata tuo semper post carmine vivent.

Quare haud immerito tua mens super aethera velox
tendit iter, levibus similis prope facta cometis,
una cum sociis quos summo vertice collis
lenibus ad caelum mittis spirantibus auris.
Ut pariter tecum cupiunt certare sodales!
Chartea scuta gerunt, calamis distenta tenaci
glutine compactis, filisque e pluribus unum
in glomus aggeritur, vix quod manus altera gestat.
E scopulo veluti reflua qui alliditur unda,
postquam tempestas ventorum saeva resedit,
exsilit extemplo scruposis cautibus agmen
occupat et caeli nitidi spatia alta larorum,
aer caeruleus distentis albicat alis,
haud secus oblongis caelum fervere cometis
incipit, et laetis resonant mox vocibus aurae.
Candida saepe mari ut ventis afflata secundis
vela tument, raptim liquidum sic aera carpunt
tamquam si certent excelsius ire cometae,
quos et corde simul pueri et clamore sequuntur.
Qui lembus nitidas tetigit vix charteus oras
pone levi cauda ventis fluitante decorus,
excussis alius veluti cito decidit alis
post alium, putrique solo delapsus inhaeret
aegre dum fletus pueri gemitusque refrenant.
Unus at immotus rutilo sub sole cometes
fulget adhuc, filo digitis quem lene voluto
mittis, Ioannes ¹, sensim necopinus ad astra,
donec caeruleis nitet aequae ac sidus in auris.
Suspiciunt pueri, trepidoque stupore tenentur,
lumina prodigio nequeunt abducere miro.

1. ADNOTATIO.— Ioannes Pascoli alumnus fuit Urbinatis ephebei, quod a Raphaele Sanctio nominatur. Quod ad cometas pertinet, confer ejusdem poetae carmen, cujus titulus «L'aquilone», Gallice vero *cerf-volant*.

Haud aliter fulgent tua carmina sideris instar,
vertere semper erit nobis quo lumina gratum,
seu miserae petimus maesti solacia vitae,
seu meliora sequi gnavi conamur, et omnes
amplecti volumus concordi pectore fratres,
jungere et inter nos jucundae foedera pacis.

THEODORUS CIRESOLA, Professor
Viale Brianza, n. 22
MEDIOLANI (20127 Milano) in Italia

CICERONIS SPECIMINA

PRAEFATIUNCULA

Quae in IV.^o Congressu *Vitae Latinae* —mense aprili, superiore anno 1969, Avennionem— acta sunt, omnes grata tenemus memoria. Multa eaque optima ibi a claris viris exposita sunt ac relata. Attamen, nonnulli in errorem forsitan induci possint ex novis illis «methodis activis» quae propositae sunt. Ne tamen rerum novitate nimium alluci neque irretiri patiamur.

Etenim, subsidia et instrumenta *novae methodi activae* optima quidem sunt, si *suo* tamen collocentur loco et cum studio grammaticae et scriptorum lectione intime jungantur. Methodus enim «activa» —linguae latinae accommodata— si «*sola*» excolatur et explicetur, dubia, incerta, periculosa esse potest neque nos in intimam praestantissimorum scriptorum cognitionem inducet.

Novam igitur methodum laudamus eamque sincere suademus; sed ab antiquitatis auctoribus ne recedamus oportet.

Cum autem non defuerint clmi. Professores qui aperte dicerent alumnos —dum *vetera* in schola legerent— taedio saepe affici, id maxime enitendum ut nostram docendi rationem et explicandi veteres scriptores diligenter expendamus et renovandam curemus. Ut autem huic difficultati subveniamus, specimina et exempla fortasse desunt quae ante oculos proposita imitemur ac sequamur. Qua motus ratione quasdam de epistulis Ciceronis explicationes propono: quae si utilitati et commodo legentibus fuerint, magnopere gaudebo.

Latinitatis auctores.

Multi sane sunt optimi scriptores qui incorrupta floruerunt latinitate; sed et ab iis qui hac maxima carent gloria —ne dicam ab omnibus— aliquid discere possumus, ut ait Muretus¹.

Ut nunc se res habet, a M. T. Cicerone incipiamus; cum in eo omnes latinitatis flores et dicendi venustates floeant atque splendeant: et ab illo commodum simplici dicendi genere quod in epistularum consuetudine habetur.

Primum igitur oculos mentemque in M. T. Ciceronem intendite ut singulare praecipuumque linguae latinae exemplar perspiciatis.

De vita M. T. CICERONIS. — Quis fuerit M. T. Cicero vos omnes

1. Cfr. *Var. lect.* lib. XV *Scholia ad Terent.*; cfr. *Societas Latina*, LURZ, *De Mureto, Cicerone redivivo*, 11 (1943) 26-27.

perspectum habere scio. — Maximus oratorum romanorum. — Ita sane est. Eum nostis...; aut saltem ejus imaginem saepius ante oculos habuistis.

Quo autem tempore vixit? — Cum jam libera res publica fere exstinguebatur.

Ejus vitae curriculum breviter percurramus.

Natus ARPINI anno 648 ab urbe c., 106 a. Chr. n.

Anno 694 (Ciceronis a. 47) consortionem ineunt Pompejus, Caesar, Crassus, ac primum constituunt triumviratum.

Caesar anno 695 (Ciceronis a. 48) consul creatur.

Mense aprili Cicero abest Roma; quae in ea eveniant anxio animo exspectat, ac, quae sibi immineant, praevidet.

In Formiano praedio commoratur cum litteras ad Atticum mittit.

Ciceronis scripta. — At non tantum vitam Ciceronis nostis, sed et ejus opera cognita habetis: quae alia ad oratoriam spectant (*Orator, De oratore, Brutus...*), alia quae ad philosophiam (*Tusculanae disputationes, De finibus bonorum et malorum, De re publica, De legibus, De senectute, De amicitia...*); et ut maximus orator multas habuit orationes...; restat etiam corpus ejus epistularum: quo continentur *Epistulae ad familiares* — 16 libri, ab a. 62 ad 43 a. Chr. n.—, *ad Atticum* — libri 16, ab anno 68 ad a. 44—, *ad Quintum fratrem...*, *ad Brutum...*

Mens erat Ciceronis, extrema aetate, quasdam in lucem edere epistulas, quas tamen prius recognoscere volebat; post ejus mortem epistulas Tiro libertus vulgavit.

In M. T. Ciceronis epistulis praestissimum reconditur litterarum romanarum monumentum, quo ea quae illis temporibus evenerunt et apertius percipiuntur et diligentius ad veritatem comprobantur.

Etenim in multis illius aetatis eventibus ut homo publicus et in re publica versatus adest Tullius; nam et cum factionum ducibus agit, et, quae liberae rei publicae immineant, pericula praevidet, et, ut majorum instituta permaneant, virili animo contendit: quae omnia ex ejus epistulis perspicue colliguntur.

At hic est insuper non exhaustus latinitatis thesaurus, omnibus apertus qui linguae latinae operam dant. Nam vel ii qui primum linguam latinam attingunt, in Ciceronis epistulis simplicem, facilem, dilucidam, jucundam invenient orationem, ac difficilem illam facultatem et elegantiam percipient in qua dux et magister Tullius semper exstitit.

Ad rem perbelle Vives (*Epist. II, de ratione studii puerilis*): «Ciceronis epistulae ad familiares, sed in primis ad Atticum, multum erudire, ac expeditum reddere sermonis usum possunt: nam in illis est sermo ille purus et simplex, quo Cicero cum uxore, cum liberis, cum servis, cum amicis in triclinio, in balneo, in hortis utebatur».

Nunc epistolam ad Atticum legamus...

Et quo melius Ciceronis mens nobis aperta fiat ejusque sensum detegamus, ita eam explanamus: Rem unam tantum in mente habet, quam cum amico communicare vult: «*solus est in Formiano praedio*»:

NUNC *solus sum in Formiano:*

Cui sententiae dies illos opponit, quibus Antii erat:

tunc enim omnia sciebat —quae Romae agebantur— melius quam ii qui Romae erant.

Tunc enim litteras ab amico excipiebat quae indicabant
et quae Romae fiebant
et quae in re publica
et quae futura erant.

NUNC vero nihil scit —nisi si quid a praetereunte viatore excipit seu quasi expiscatur—...

Itaque amicum exspectat ut multa narret; sed interea rogat ut puero, quem ad eum mittit, det ponderosam epistolam, omnium rerum plenam, atque significet quo die sit Roma exiturus.

Ipse in Formiano usque ad pridie nonas majas —i.e. die sexto maji— commorabitur; aut in Formiano se amicum visurum exspectat aut Romae.

Cicero Attico s.

— Ad Att. 2, 11 —

Narro tibi, plane relegatus mihi videor, postea quam in Formiano sum. Dies enim nullus erat, Antii cum essem, quo die non melius scirem Romae quid ageretur, quam ii qui Romae erant. Etenim litterae tuae non solum quid Romae, sed etiam quid in re publica, neque solum quid fieret, verum etiam quid futurum esset, indicabant.

Nunc, nisi si quid ex praetereunte viatore exceptum est, scire nihil possumus.

Quare, quamquam jam te ipsum exspecto, tamen isti puero, quem ad me statim jussi recurrere, da ponderosam aliquam epistolam, plenam omnium non modo actorum, sed etiam opinionum tuarum, ac diem, quo Roma sis exiturus, cura ut sciam. Nos in Formiano esse volumus usque ad pridie nonas majas; eo si ante eam diem non veneris, Romae te fortasse videbo...

Cura ut valeas.

Nunc vero, cum hoc epistolium legistis: quae animum vestrum permoverunt, praeter ipsam mentis expositionem, —in ipso totius orationis contextu, in ea mentis cogitata exponendi ratione?... ..

Si animo attenditis ac rem perpenditis, haec in primis eminent atque apparent:

1.^a — *et intima sententiarum conexio*, qua omnes propositiones seu sententiae conjunctionibus aut relativis penitus cohaerent: «*dies enim — quo die — etenim litterae — non solum, sed etiam, verum etiam — nunc-Quare — quamquam, tamen — non modo, sed etiam*».

Ita fit ut mens seu cogitatio una re contineatur, gradatim evolvatur et quodam quasi ligamine plenius constringatur.

2.^a — *et illa sententiarum intersectio*, qua aliae aliis propositionibus inseruntur; aliae enim progredi videntur, aliae vero quasi regredi; sed ita sensus retinetur, nedum abrumpatur, ut ex ipsa intersectione et vario vocabulorum ordine maxima vi et virtute in significando verba orrentur: quae est una ex praecipuis orationis latinae virtus; haec autem ex dispositione et ex appositis lineolis clariora fient:

Dies enim nullus erat | → | quo die melius scirem,
 Antii cum essem | → | Romae quid ageretur,
 | → | quam [sciebant! ii qui Romae erant.

Etenim

| litterae tuae | → | indicabant.

non solum quid Romae,
 verum etiam quid in re publ. [ageretur]

 neque solum quid fieret
 verum etiam quid futurum esset,

Nunc. | → | scire nihil possumus.

| nisi si quid a praetereunte v. exceptum est,

Quare

| quamquam jam te ipsum exspecto

| → tamen isti puero | → | da ponderosam aliq. epistulam

| quem ad me statim jussi recurrere,

| plenam non modo actorum,
 | sed etiam opinionum tuarum,

ac diem | → | cura ut sciam.

| quo Roma sis exiturus

Nunc epistulae explicationem ingrediamur...

NARRO TIBI: quae verba id significant: *quae tibi dico pro certo habeto*.

Dicitur «*narrare aliquid alicui, aut de aliquo*». *Narrare Catonem* (SEN. *Epist.*, 24,6): est «*narrare Catonis vitam*». —BENE *narras* (CIC. *Ad Att.*, 13,33,2): «*grata mihi nuntias*».

PLANE: idem valet atque *omnino, prorsus, [totus]*: *Plane periisse* (CIC. *ad fam.*, 14,43): «*prorsus periisse*». *Non plane* (CIC. *Verr.*, 4,54,120): «*non omnino*». *Nisi plane esse vellem meus* (CIC. *de leg.*, 2,7,17).

RELEGATUS MIHI VIDEOR: est constructio infinitivi quae *personalis* dicitur — *videor* vocatur etiam «*verbum attributivum*».

Sunt et alia verba *dicendi et existimandi* quae modo seu *ratione personali* construuntur: «*Aristides unus omnium justissimus fuisse traditur*» (CIC. *Sext.*, 67,141).

In his verbis subjectum infinitivi *non effertur accusativo* —ut in aliis propositionibus infinitivi—, sed in *nominativo* manet, quocum et verbum *videor* et v. infinitivum concordant: «*Mihi videor esse relegatus*»; MINIME VERO *ratione impersonali*: «*Videtur me esse relegatum*».

Attamen *videtur* secum fert *infinitivum cum accusativo* cum is sensus verbo inest qui est in sententia: «*mihi placet, mihi probatur*»: «*Visum est mihi de senectute aliquid ad te conscribere*» (CIC. *C. M.*, 1,1).

RELEGATUS: est 'separatus, segregatus, abstractus, quasi in exilium pulsus'. — A *lĕgo, -as, -are*, > *relĕgo*; cfr. contra *relĕgo* < a *lĕgo, is, ere*.

Legatus: non vero '*delegatus*' [*delegué de l'Université...*].

POSTEAQUAM: propositionibus temporalibus multae exprimi possunt temporis notiones et relationes. His autem cum res *factae* significantur, in *indicativo* construuntur.

Postquam: *postea quam, posteaquam; postea*; producitur *ā*, cfr. *antea, contra, frustra, triginta*.

IN FORMIANO SUM: locus *communis*: *in area, in mensa*. Cicero nonnulla habebat *praedia [rustica]*: in iis Formianum, Tusculanum, Cumanum.

DIES ENIM NULLUS ERAT: *dies* numero plurali est generis *masculini*; numero singulari saepius etiam *masculini* generis, aliquando *feminini* est.

ENIM: particulae *nam, namque, enim* plerumque praesunt sententiis quibus, quae supra dicta sunt, confirmantur; quamquam in linguis hodiernis conjunctio interdum desideratur; iis autem particulis nullo fere discrimine utuntur Romani. Attamen *nam* conjungitur praesertim cum relativo (*nam qui, nam quisquis*), et cum in-

terrogationibus rhetoricis (*nam, quid dicam de...?*; *nam, quis objiciet?...*), et cum superiora explicantur aut confirmantur.

Enim saepius adhaeret pronomibus demonstrativis —aut particulis his similibus— (*is enim, sic enim...*), et in parenthesi; et in locutionibus negativis (*neque enim pro: non enim...*). *Enim* primam alteramve propositionis vocem semper subsequitur.

ANTIUM CUM ESSEM: est nomen urbis 2^a declinationis, et ideo genetivo-locativo effertur. Antium est prope Romam —quod scitis— a qua 50 chilometra abest; ac nuper, cum Neptuno conjuncta est.

CUM ESSEM: *cum* factorum seriem narrando conectit; et ideo, ex eo quod saepe in narrationibus adhibeatur, *historicum* appellatur; jungitur cum imperfecto aut plusquamperfecto subjunctivi, ac saepe idem valet ac gerundium in nostris linguis.

QUO DIE: Romani a repetitione verborum et locutionum non adeo ut nos abhorrent; «Cui rationes *defuerunt*, ubertas orationis non *defuit* (C. *Tusc.*, 1,48,116). Et repetunt praesertim participium passivum: «Exercitum *fundit* fugatque, *fusum* persequitur» (LIV., 1,10,4). Saepe *relativo ipsum nomen antecedens* addunt, quod fere fit cum voce *dies*, aliquando cum v. *tempus, res, causa, iter*: «*Diem* dicunt, *qua die* ad ripam Rhodani omnes convenient; *is dies* erat... (CAES. B. G., 1,6,4). «Erant omnino *itineria* duo, *quibus itineribus* domo exire possent» (CAES. B. G., 1,6,1).

NON MELIUS SCIREM: propositio comparativa: «non *melius* scirem *quam* ii qui erant Romae».

Scirem: imperf. subjunctivi, quia pendet a superiore propositione «Antii cum essem».

Romae: genetivus locativus; nomen urbis 1^a declinationis.

QUID AGERETUR: adhibetur subjunctivus ex interrogatione indirecta; respondet enim: «Antii cum essem, *sciebam quid* ageretur Romae»; tempus HISTORICUM [secundarium] conjungitur cum *historico* seu *secundario*.

QUAM II, QUI ERANT ROMAE: *is* proprie non est pronomen «demonstrativum»: eo enim neque spatio neque tempore definito res collocantur. Est tantum pronomen *relationis*, et *anaphoricum* dicitur quia sese refert ad alia —supra dicta— (gr. ἀναφορικόν); est pronomen quod ad vocabulum aut ad orationis tenorem —seu contextum— refertur. Differt igitur *is qui*: «homo qui, talis homo qui»; et *hic, ille qui*: '*hic* homo, *ille* homo qui': *is* est ex natura sua *correlativum* pronominis *qui*; ex quo saepe sibi sociat pronomen relativum —quod aut praecedit aut jungitur—: *quo anno... eo anno; eo anno... quo...*

Saepissime adjectivum — pronomen *is* deest, praesertim cum *eodem casu* antecedens et relativum efferuntur: «maximum ornamentum amicitiae tollit [*is*: deest] *qui* ex ea tollit verecundiam» (CIC. *Am.*, 22,82).

ETENIM: qua conjunctione propositiones artiore nexu quam conjunctionibus *nam*, *enim* conecuntur, ac fere semper novam infert superiori propositioni notionem.

LITTERAE TUAE: *litterae* id potius significant: 'res quae scribuntur, res de quibus agitur'; *epistula* vero 'id quod mittitur' exteriore et quasi materiali sua forma; quare Romani dicebant «obsignare, complicare epistulam» [non vero: *litteras*]; at *dare ad alqm. litteras* aut *epistulam, litteras ad alqm. reddere* = 'mittere per tabellarium, per cursorem'.

NON SOLUM: conjunctio coordinativa [inest quaedam gradatio]; in primo membro *non modo*, *non solum*, in altero vero *sed etiam*, *verum etiam*.

QUID ROMAE [AGERETUR]: propositio interrogativa indirecta, quia pendet a v. *indicabant*; atque in hoc inciso subauditur «ageretur».

SED ETIAM: conjunctio quae superiori *non solum* respondet.

QUID IN RE PUBLICA: iterum deest v. «ageretur».

RES PUBLICA: initio *res* significat 'bonum, rem possessam': *res familiaris*: 'bona familiaria'; *res publica*: 'bona publica, bona civitatis, bona quae ad bonum civium omnium spectant' [contra: *res privatae*: id est 'privatorum'].

NEQUE: in conjunctione *neque* particula copulativa —*quē* conjungitur cum negatione *nē*—. Dicitur *neque*, *nec*, et ducitur a *nē*-*quē*; eadem ratione ac *non* usurpatur; tamen *neque* copulationem secum fert —*et*—.

Saepius —non semper— dicitur *et non*: 1. cum ad sensum aut ad claritatem sententiae negationem a conjunctione disjungere praestat; quod in primis fit cum negatio et conjunctio copulativa ad eandem non pertinent propositionem: «*Et*, cum inde *non* procul consedisset, milites misit»...

2. cum negatio arte cum vocabulo conecitur seu ad illud refertur, non ad totam sententiam: «*Patior et non* moleste fero» (Cic. *Verr.* 1,2); «*Vetus et non* ignobilis dicendi magister» (Cic. *Brut.*, 315).

3. praesertim cum res opponuntur —in admiratione, indignatione, interrogatione—: «*Videmus examina tanta servorum immissa in populum romanum et non* commovemur?» (Cic. *Harus. resp.*, 12,25).

4. aut quae supra dicta sunt corriguntur: «*Illi iudices, si iudices et non* parricidae patriae nominandi sunt» (Cic. *Planc.*, 29,70); «*Si hoc profectio et non* fuga est» (Liv., 2,38,5).

Initio sententiarum frequentissimus est particulae *neque* usus; *neque* tamen tunc *copulationis* sensus secum fert sed *tantum negationis*, praesertim cum aliis adjungitur particulis: *neque tamen, nec vero, neque enim*...

VERUM ETIAM: idem ac *sed etiam: non modo, non solum... verum etiam*. *Verum* initio *nominativus* fuit: '*verum*': 'res vera [est]';

«*verum*» fere idem significat ac *sed*: «*Verum* ad Crassum revertamur» (Cic. *Brut.*, 147).

QUID FUTURUM ESSET: in qua propositione consecutio temporum absolute perficitur: est consecutio temporum in *interrogatione indirecta*: interrogatio indirecta subjunctivo effertur, qui est modus subjunctionis seu conjunctionis:

si v. interrogativum habet	in subordinata interrogativa ad significandam rem		
	<i>Prius factam</i> <i>adhiberi debet:</i>	<i>simul factam</i>	<i>futuram</i>
<i>t. primum</i>	<i>perfectum</i>	<i>praesens</i>	— <i>urus sim</i>
<i>t. secundarium</i>	<i>plusqperfect.</i>	<i>imperfectum</i>	— <i>urus essem</i>

Scis *quid egerim* *quid agam* *q. acturus sim*
Sciebas *quid egissem* *quid agerem* *q. act. essem*

Ergo in epistula: «*indicabant* [*t. secundar.*] litterae tuae *quid fieret*» [*imperf.*]; «*indicabant* [*t. secund.*] *quid futurum esset*» [*periphrast.*].

INDICABANT: *indico*, *indicium* sunt a voce *index*: 'qui monstrat', ac praesertim significat «*digitum* manūs quo res *monstramus*'.

NUNC: ducitur a *num*: sed haec particula *num*, praesertim ab initio, sensum habuit et evolvit interrogationis [«*num* quid vis?»]; *nunc* vero —sensu temporali praesenti auctus est— et *tum*, *tunc* opponitur. Aliquando etiam sensu praeterito aut futuro usurpatur.

NISI SI QUID: *nisi si* proprie ex sensu separantur: «*sauf si*» «*Nisi* vero *si* quis est qui non putet» (Cic. *Cat.*, 2,6). At saepe idem est ac *nisi* [*à moins que* — *a no ser que*]: «*Nisi si* tu es solus *Antonius*».

Si quid = *si alqd.*; adhibetur *quis*, *qui*, *quae*, *quod*, *quid* post particula *si*, *nisi*, *ne*, *num*: «*si* qui rex, *si* qua civitas» (Cic. *Suppl.*, 58,149); «*si quid* est in me ingenii..., *si* qua exercitatio dicendi» (Cic. *Arch.*, 1,1) — Attamen, universim dicunt *si aliquis*, «ubi oppositio vi quadam facienda est» (FORCELLINI): «*Si aliquid* de summa gravitate Pompejus, multum de cupiditate Caesar remisisset...» (Cic. *Phil.*, 13,1,2).

—Animadvertite in oratione *Pro Archia* (1,1) post *si quid*, *si qua*...: «aut *si* hujusque rei ratio *aliqua*...»

Nisi: est particula condicionalis composita a *ně* — *sī*: quae [: *sī*] ex lege iamborum, quae dicitur, brevis facta est —habetis eandem legem in vocibus *mālě*, *běně*, *cāvě*, *mōně*—; et *-e* [: *ne*] in *i* mutatur ex vocalis *i* propinquitate. — Sensus particulae initio fuit: *non pas si*, *à moins que*... *ne*, *sauf que*, *si...ne...pas*. — In sermone familiari quasi deleta est virtus particulae *-si*, in voce *nisi*, et idem

significavit atque *seulement, sinon, à exception de*; adhibetur etiam cum aliis vocibus *nihil nisi, nihil aliud nisi*, et idem valet ac *quam: rien que, rien d'autre que*. Cum autem condicio dilucide non semper patebat, alia addita est particula *si = nisi si: excepté si* (cfr. ERNOUT-THOMAS, *Syntaxe latine*², Paris 1964 & 377, p. 384; ERNOUT-MEILLET, *Dictionnaire étymologique de la langue latine*⁴, Paris 1959, s. v.).

EX PRAETEREUNTE VIATORE: ablativus participii praesentis in -e desinit cum verum est *participium* aut *sbustantivum*; hic habetis: *viatore praetereunte: participium: 'qui praeterit, cum praeterit'*; in -i vero desinit cum *participium* factum est *adjectivum*:

ardente domo = 'cum ardet' (*participium*),
 fervente aqua = 'cum aqua fervet',
 ab adolescente = (est *substant.*), = 'a sapiente',
 ardenti studio = 'studio flagranti' (*adject.*),
 sapienti consilio = 'por un sabio consejo' (*adject.*)
 in continenti [terra] = en el continente (*adject.*).

EXCEPTUM EST: ab *ex* et *capio* cuius sensus facile percipitur: 'diligentiā, industriā, *capere ab alio*' [et ideo 'seorsim capere']; = 'educere, quasi expiscari'.

NIHIL: *ne — hilum, neque — hilum; hilum* significare videtur: 'quamvis sit parum, paululum'²: «aliquid prorsum de summa detrudere *hilum*» (LUCR., 3.514) (ut in locutionibus: «facere flocci, naucci, nihili»). — *Hilum* fere consociatur cum negatione: *ne hilum: 'nulla res'*; est *accusat. adverbialis*.

QUARE: haec particula fuit initio ablativum causae [*qua re: «c'est pourquoi» — 'por lo cual'*]; nunc rationem adverbii secum fert; cfr. etiam *ea re, eo, hoc*.

QUAMQUAM: est particula quam duplicata; significat 'eo gradu quo'; et, ut pronomina relativa non determinata *quicumque, quisquis*, indicativo effertur: «*Quamquam* omnis virtus ad se *allicit...* tamen justitia et liberalitas id maxima efficit» [*bien que — por más que, aunque*] (CIC. *Off.*, 1,56).

EXSPECTO: a v. *specto* (*spicio*, cfr. *species*) = 'cerno, video'; *exspecto* = 'a longe video'; deinde: 'opperior'.

ISTI: *iste* refertur ad *illum quocum loquimur*, aut ad ea quae quoquo modo ejus sunt, seu ad ipsum spectant; est demonstrativum secundae personae: *iste liber* = 'liber quem *tu* habes'; «*De istis* rebus *exspecto* litteras tuas» (CIC. *Att.*, 2,5,2) = 'de iis rebus quae *apud te* sunt, eveniunt'.

STATIM: ducitur a v. *sto*; = 'ilico'.

2. Animadvertite pronuntiationem: «*Nihil* est une graphie étymologique, On prononçait *nil*, comme *mi*» (ERNOUT-MEILLET, *Dictionnaire étymologique de la langue latine*, Paris, 1959).

JUSSI: Cicero infinitivo *activo* utitur quia propositioni *subjectum* verbi infiniti inest: *quem —puerum—*; conferte:

— Caesar milites pontem rescindere jubet —

«Caesar pontem rescindi jubet» (CAES. B. G., 17,2).

PONDEROSAM: *ponderosus* = 'qui secum fert magnum pondus; cui pondus inest'.

ALIQUAM EPISTULAM: «*non definitam*», '*aliquam*'; *scribe aliquid*.

PLENAM OMNIUM: verba *implendi* quia partem significant ex qua aliquid impletur, genetivum partitivum postulant; *plenus* saepius in genetivo, sed et in ablativo est.

NON MODO... SED ETIAM: cfr. supra.

DIEM QUO: *dies*: generis *masc.* —cfr. supra—; et in ablativo *sine* praepositione: *relatio temporis*.

ROMA: locus *unde* exītur; nomen urbis 2^a declin. in ablativo *sine* praepositione.

SIS EXITURUS CURA UT SCIAM...: *apta consecutio temporum*: —ut supra—: *cura* [—*praes.*—] *ut sciam* [—*praes.*—] *diem quo Roma sis exiturus* [—*periphrast.*—].

Animadvertite propositionum intersectionem:

<i>ac diem</i>		<i>cura ut sciam.</i>
	<i>quo Roma sis exiturus</i>	

CURA UT SCIAM: propositio completiva finalis: qua —propositione finali— significationes voluntatis, conatus, actionis exprimuntur.

IN FORMIANO: *relatio loci ubi*: locus *communis*: ablat, cum praepositione.

VOLUMUS: in hoc v. sunt alternationes vocalium —seu apophonia— *o / e* : *vol-o, vol-ens; vel-i-m, vel-le-m, vel-le*:

—*Esse volumus*—: infinitivus (*esse*) est complementum v. *volumus*, quia *idem est subjectum*.

USQUE AD: *usque* jungitur praepositionibus: *a, ab, ex*: «*usque a mari* «*supero*»: «*usque ex ultima Syria*»; *ad, in*: «*usque ad castra*»; «*usque in senectutem*».

PRIDIE NONAS MAJAS: dicitur *pridie* [cum genet.] *ejus diei* (Cic. *Fam.*, 1,4,1) et *pridie* [cum accusat] *eum diem* (Cic. *Att.*, 11,23,2), *pridie Kalendas, Nonas*...

In mensibus *mar-, maj-, jul-, oct- nonae die mensis septimo* erant, minime vero die 5.^o; ergo *pridie nonas* = 'die 6.^o m. maji'.

Eo: adv. loci quo motum significatur (*quo*): '*allí, allá*'.

ANTE EAM DIEM: *eam* —pron. *relationis*— quia refertur ad verbum superioris propositionis: non «*illam*». —*Eam*: genere *feminino*: quia —ut nonnulli tradunt— *diem constitutam rei faciendae*» designat.

SI... NON VENERIS: futurum *perfectum*, quia res evenire debet,

facta esse debet (ideo fut. *perfectius* quam aliud futurum quod deinde sequitur: *videbo*).

FORTASSE: a *forte*, saepius *cum indicativo*.

—Animadvertite iterum sententiae constructionem.

FORTASSE VIDEBO: fut. *imperf.*, quod fieri debet post aliud fut. perf. —si non *veneris*—.

CURA UT VALEAS: formula valde usitata in epistularum fine. —Aliae formulae: *fac valeas*; *da operam ut valeas*; *vale*; etiam atque etiam *vale*; *fac ut valetudinem tuam cures*.

Colloquium de epistula Ciceronis ad Att. 2,1!

—*exercitatio loquendi latine*—

- | | |
|--|--|
| Dic mihi: quis fuit Cicero? | — Fuit eloquentissimus oratorum Romanorum. |
| Quem unum habebat amicum? | — Carissimus erat Ciceroni Titus Pomponius Atticus. |
| Quare <i>Atticus</i> appellabatur? | — Ex diuturna Athenis commoratione, seu quia multum Athenis commoratus est. |
| Ubinam erat Cicero cum hanc epistulam scripsit? | — In Formiano erat. |
| Quid fuit Formianum? | — Praedium quod Cicero habebat Formiis, ibique oblectabatur ac litteris vacabat. |
| Quid Ciceroni videbatur? | — Cicero sibi videbatur plane esse relegatus in Formiano. |
| Quid sciebat cum Antii morabatur? | — Quaecumque Romae agebantur. |
| Quo modo sciebat? | — Ex litteris Attici. |
| Nunc autem de quo queritur? | — Se nihil scire nisi si ex praeterente viatore aliquid novi excipiat. |
| Narra mihi quid amplius scribat? | — Rogat ut mittat, per puerum, ponderosam aliquam epistulam de omnibus quae Romae eveniunt, et significet quo die Atticus Roma sit exiturus. |
| Usque ad quem diem in Formiano moraturum se dicit? | — Usque ad pridie nonas majas. |
| Cuinam diei respondet «pridie nonas majas»? | — Respondet diei sexto mensis maji. |

- Quare? — Quia *nonae* mense majo die septimo habebantur; ergo *pridie* erat dies sextus.
- Ubinam Cicero sperabat se visurum [esse] Atticum? — Aut in Formiano aut Romae fortasse.
- Quo modo amico vale dicit? — Rogat ut de valetudine curet.
- Suntne aliae vale dicendi formulae? — Ita sane, ut: «da operam ut valeas; etiam atque etiam vale; vale; valetudinem tuam cura diligenter; fac ut valetudinem tuam cures; fac valeas...»

Quid de Cicerone legisti?

Quas orationes Ciceronis in Italicum, in Hispanicum, in Gallicum... convertisti?

Multumne harum orationum lectione delectatus es? —in his legendis—.

Legistine dialogum *de amicitia* aut *de senectute*?

Sermo Ciceronis visus est tibi planus et simplex an vero obscurus et difficilis intellectu?

Placentne tibi Ciceronis epistulae? Quaenam?

Tullius praedia rustica habebat? Ubi? Placetne tibi, aestate praesertim, rusticari seu vitam ruri degere?...

Quibus exercitationibus gymnics, aestate, maxime delectaris?

Quid te magis juvat: natare, per montes vagari, pediludio aut taeniludio cum sociis ludere?

Quibus modis natare didicisti: supinus, a latere, ranae modo?

Fuisti aliquando Formiis? Ubi sunt Formiae?

Quid ibi Tullio, extremo vitae tempore, accidit?

Antium invisisti? Quid nobiliores Romani Antii habebant?

Quid Antii secundo bello universali evenit? Quid fecerunt Socii?

Vidisti ibi corpus Beatae Mariae Goretti Martyris?

Digitos numera. Quis est «index»? Quare ita vocatur?

Scribe verba hujus epistulae quorum significationes parum cognitae tibi erant.

Epistolam exāra qua amico narres similia iis quae Tullius in sua ad Atticum epistula scribit.

JOSEPHUS M. MIR, C. M. F.

In Instituto Pontificio Altioris Latinitatis Professor

Via Sacro Cuore di Maria, 5, 00197 ROMA.

HORIS SUBSICIVIS

SUCUS SINGULARIS *

Humani corporis fabrica semper perfluitur sanguine, qui partes omnes nutrit, fovet, vegetat. Pulsu et virtute cordis movetur et in circuitu agitatur eo modo, ut e sinistro cordis ventriculo quasi perfectus, vaporosus, spirituosus, alimentarius per arterias ad omnis corporis membra pellatur, ibi in vasa capillaria obrepit et inde effectus et nutritioni jam redditus inidoneus ab exiguis venis in majores remeet et illinc in venam cavam et ad atrium cordis dextrum tandem veniat. Mox ventriculum influit et inde ad pulmones fertur. Quo in organo oxygenio oneratur et balsamo veluti praegnans ad cor revertitur, ut inde rursus dispensetur. Hoc momine circulari non tantum cuncta corporis membra sustentat et alit sanguis, sed etiam a corruptione et grumefactione vindicatur.

Quo subtilius inquirimus de proprietatibus suci illius singularis, ut sanguinem a Ioanne Volfango de Goethe facete et concinne nuncupabatur, eo mirabilius natura ejus apparet. In plasmate, quod fluidum est sufflavum, albumini multifariae continentur complexiones et copulationes vario inservientes usui, materiae nutritoriae in digestionem ciborum processibus chemicis dissolutas, vitaminae, quas dicunt, hormonesque, omnium denique elementorum in terra exstantium particulae minimae, quasi vestigia significantia, quod de terra sumpti, «de limo terrae formati» (Gen. 2,7), ad eandemque terram reverturi sumus. Item in plasmate globuli rubri suspensi sunt, quos Antonius a Leeuwenhoek primus conspexit.

Qui vir, victoris filius, Delphis in Hollandia anno 1632 metus est, institoris quaestum primum exercebat, dein ostiarius erat curiae. Omnes res naturificatas magno cum studio rimatus est, acerrimo praeditus ingenio naturae miracula solvere nisus est, sed litteris nequaquam erat imbutus: linguam latinam non intellexit, Divinae Litterae simplici sermone Batavo exaratas tota Amalthea erat. Propterea viri docti potius quasi docti hujus temporis, innixi non raro perveris et naturae plane adversantibus dogmatibus, contemptui eum habebant.

* Ex epistula nobis a Dtre. G. Wallner Vindobonae d. 17 aprilis a. 1969 data lectoribus nostris praebemus:

«Cum mihi persuasum sit, nobilem linguam latinam aptam esse ad res nostrae hujus aetatis proprias accurate exprimendas, commentationem nuper composui, quae de usu et ratione transfusionis sanguinis est, confidens fore, ut in Commentariis qui «Palaestra Latina» inscribuntur, typis edatur.»

Attamen Antonius, cum vir esset strenuus et propositi tenax, doctarum ineptiarum suae aetatis expertus, in iis rebus tantum confidens, quae diligens et accurata observatio revelabat, ante omnia res exiguissimas oculorum aciem fugientes per lentes crystallinas, quas ipse diligentissime tornaverat, intueri perrexit: varias observabat res, ut puta muscarum pinnas, pulicis aculeum, pediculi oculum. Quodam die, cum guttam e stillicidio contemplavisset, eam bestiolis minutissimis redundantem vidit: primus omnium hominum microbia contemplatus est. Tum in cauda pisciculi intuitus est sanguinem ab arteriis in venas transmeare, ejusdem sanguinis rubros globulos, cum in bestiis tum in hominibus, tum multa alia, quae enumerare longum esset. De his omnibus rebus permulta naturali quodam ac simplici eloquentiae genere conscripsit.

Et veritati unice litans ipsamque summa cum industria inquirere studens non turpe putavit mutare sententiam, si veritas suadebat et aperta demonstratio. Magnam habebat de seipso opinionem sed et maximae humilitatis sensum erga mysterium mundi ejusque Creatorem, longe aliter ac rerum naturalium inquisitores saeculi XIX, quorum non pauci aut contra Deum ipsum temerario ausu rebellare, aut, Epicuream cramben recoquentes, omnem ejus actionem in homines et mundum infitias iere, aut Deum esse plane negavere.

Obiit Antonius a Leeuwenhoek nonagenarius magna auctoritate valens, valde honoratus a viris vere doctis, Societatis Regiae Britanniae socius.

Sed ut ad peristasin propositam revertar, globuli vel potius disci parvuli in plasmate sunt ad quinquagies centena milia in singulo millimetro cubico, nucleo carentes, qui sanguini colorem rubrum attribuunt, erythrocyta nominata. Praeterea cellulae fluunt colore omnino carentes, quas leucocyta vocant et frustula perparva quae ad coagulationem magnum momentum faciunt, quaeque thrombocyta appellantur.

Ut omnes procul dubio pro explorato habent, sanguis ad valetudinem adeo interest, ut majoris copiae amissione vivendi spes omnino praecidatur. Diu igitur medici conati sunt defectum sanguinis cruore humano vel etiam pecuino supplere. Sed omnia haec experimenta in irritum ceciderunt, quia humor subministratus tamquam toxicum corpus detrivit, ut aegroti infelices brevi absumerentur morte.

Carolus tandem Landsteiner, cui erat persuasum ut rerum naturalium investigatori, non fingendum aut excogitandum, sed invenendum esse, quid natura faciat aut ferat, anno 1910, maxima disquisitione usus et laboriosissimis investigationibus multisque observationibus collatis, quattuor sanguinis genera enucleavit. Quae res ita se habet: in erythrocytis duae materiae agglutinogenes, ut aiunt, inveniri possunt, quas A et B vocant, similiter in sero materiae aggluti-

nantes, α et β litteris designatae. Si materia agglutinogenes cum agglutinante ejusdem speciei confligit, fit agglutinatio, id est corpusculorum rubrorum in grumos parvulos coacervatio sive coagmentatio sic, ut vasa capillaria obturentur et vitalia in corpore oxygenio tamquam vitae thesauro priventur. Sic omnes homines ad genus sanguinis quod attinet in quattuor partes dividi licet, quas litteris A et B et AB et O designare consuescimus. Exstant etiam horum generum subdivisiones, quas tamen, brevitati studentes, consulto praetermittimus. Ergo corpus sanguinem hominis proprii sanguinei generis vel alienissimi, sicut Afri aut Sinensis, faciliter et, ut ita dicam, libenter excipit, dum laticem vegetantem patris vel matris, si ad aliud sanguinis genus pertinere contingit, respuit tamquam venenum.

Magnus est numerus eorum, qui vera caritate ducti proximum in hoc adjuvare student, quo maxime eget neque dubitant aliquantulum proprii sanguinis donare: illi, licet plerumque ignoto, mutuum reddunt, huic succurrunt, hujus miserentur et quibusdam etiam inculcabitur. Opifices, officiales, juvenes academici, matresfamilias, sacerdotes, milites veniunt, qui sinunt brachium supra cubitum ligari, cutem tergi, venam pingi, cruorem mitti. Copia, quae detrahi solet, sextarium dico aut dimidium litri, ut nos computamus, homini, cui corpus bene constitutum est, nequaquam nocet, quippe quae a corpore expleatur brevi.

Caritatis humanae et medicinae artis sequester Societas, cui a Cruce Rubra nomen impositum est, non solum omnes sanguinis donatores in albo relatos habet sed et magnam copiam cruoris detracti cujusvis generis rite conditi in apothecis congregatam tenet, ut quotiescumque eo opus fuerit, consilio et sine mora dispensetur. Non raro currum videmus lumine caeruleo et bucina bisona praeditum per vias et compita urbis decurrentem, qui sarcinam pretiosam ab haematheca ad valetudinarium defert.

Vere numerosissimis occasionibus sanguinis transfusio maximo cum emolumento et effectu salutifero adhibetur, et multi homines cruori transfuso vel medicamentis ex sanguine humano factis sanitatem debent et vitam. Quam ob rem invitantur omnes, qui facere id possunt, ut interdum lagenulam sanguinis largiantur; unumquemque enim jubet natura prodesse hominibus: ubicumque homo est, ibi beneficii locus est.

Tam verum est quam quod verissimum neminem sane esse in his potissimum rerum adjunctis, qui dicere audeat se numquam ad hoc redigi posse, ut sanguinis subministratione eget.

Nonnulla exempla breviter proferam, quo clarius hujus saluberrimi et pernecessarii negotii gravitas elucescat.

Non nemo, qui mane occupavit levem currum et manibus clavum contingere gavisus est, iter corripuit et pedale adminiculum leviter

premens veluti pennis levatus omnia in via autoraedis propria vehicula decurrentia praetervolavit, subito ex causa non satis perspicua sinisterior duxit ad crepidinem dissaepientem. Currum non jam valet sufflaminare aut retinere, exspatiatur raeda, per avia rapitur et cum alio vehiculo collidit. Raedarius foras eicitur et graviter sauciatus cruore fluens volvitur humi. Medicus ex arcera automataria per telephonium accersita emicat, ampullam humoris salutiferi plenam promit et in ipso luctifici casus loco vacuas replet venas.

Valde igitur commendandum est, ut omnis civis proprii sanguinis genus noscat idque inscriptum teneat in scidula diplomati vehiculis gubernandis inserta. Sic longe facilius et gravissime vulneratis medici possunt consulere. Multi ex his periculose sauciatis servari possunt et reapse servati sunt maturata sanguinis aut plasmatis subministrati.

Magnas notae medici cum in aliis rebus multis praeclarum studium ad morbos depellendos ostenderent, tum in eo potissimum insigni zelo et magna cum laude laboraverunt, ut corporis dissecandi ars profectior usque evaderet. Et vere mirabiles sectiones a vulnerariis summo cum artificio parantur: abscessuum incisiones, inflammatarum partium excisiones, tumorum extirpationes, fractorum ossium repositiones, membrorum gangraenosorum amputationes, ventriculi vel intestini resectiones, immo et cordium transplantationes.

Aegrotus, qui secari se patitur medicis prorsus se tradit doloremque corporis, cujus est morsus acerrimus, perfert spe proposita boni. Nam quamvis dolor ille non tolerabilis, quem motum asperum in corpore alienum a sensibus vocat Cicero (Tusc. II,35), narcosis ope funditus tollitur, in ipsa chirurgica sectione, convalescentiae tempore adversitates et incommoda haud levia oriuntur.

Multi aegroti, utpote qui aetate jam admodum proveci sint ditinoque morbo debilitati, graves tales et difficiles dissectiones non ferrent, nisi medicamentis salutaribus corroborarentur et imprimis sanguinis transfusionibus confortarentur. Accedit, quod hujusmodi sectiones semper jacturam sanguinis haud levem faciunt, quae resarciatur oportet.

Juxta tabulam, qua dissectio patratur, anaesthesiologus sedet instrumentum idoneum moderans, cujus ope modo vapores soporiferos modo oxygenium vegetantem infirmo insufflatur. Medicamentis enim aptis infirmus impeditur, quominus ipsemet salutiferum aera ducat.

Suis cum adjutoribus chirurgus manu strenua stabilique nec umquam intremescente, acie oculorum acri claraque, qua musculum scalpello discindens, qua arteriam laesam sanguine scaturientem forcipe comprimens, qua venam cruore madentem lino colligans, qua intestinum incisum filo et acu curvato obsuens, qua corporis obstrusas partes specillo perquirens, qua saniem syringa exsugens aciem inter-

dum ad lagenam alte suspensam deflectit ex qua sanguis guttatim in venas hominis languentis influit.

Mulier, quae in dolore parere debet filios (Gen. 3,16), ex ipso naturae officio tradendi atque propagandi hominis vitam interdum gravioribus sanitatis, immo ipsius vitae periculis est obnoxia. Si enim, ut cetera mittam, uterus, postquam editus fetus est et placenta expulsa, propter quandam debilitatem seu inertiam, ut aiunt medici, non contrahitur, ex ejusdem uteri vasis sanguinis late apertis cruor manat abundantissime. Matri in hoc maximo vitae discrimine versanti sola prompta et larga sanguinis infusione mederi possumus efficaciter, ut damnum quam citissime expleatur.

At vero si facere nemo potest, quin demiretur chirurgos manu plurimum praestantes, quorum artis effectus inter omnes medicinae partes est evidentissimus, praeclara opera eaque vix credibilia patravisse et adhuc patrare, haud minorem admirationem habet, quidquid medici agebant, non solum, ut specialis pathologiae doctrinam subtilius investigarent sed etiam, ut exploratius invenirent, quo aegroti curentur. Tria saltem exempla proponam.

In plasmate materia vim habens agglutinandi et dissolvendi sanguinem haud ita pridem detecta est, a macaco rheo simia, quacum experimenta erant facta, vocata. Quae substantia certis condicionibus in corpore materno peculiari modo formata per placentam in sanguinem fetus diffundere et corpuscula ejus rubra dissolvere potest. Icterum gravem neonatorum medici vocant hunc morbum: infantuli adhuc in utero vehementer aegrotant, non raro praemature eduntur. Adsunt color flavus toto in corpore, segnities, lassitudo, interdum et hydrops universalis. Centra cerebri vitalia necrosibus laesa flavescunt. Parvuli aut brevi moriuntur, aut debili mente miserabilem vitam degunt. Hi infantuli servari nunc possunt, si sanguis morbifer detrahitur et sanguine, qui materia haemolytica caret, suppletur.

Sanguinis debilitas, quae deminutio est globulorum rubrorum variis ex causis oriri potest. Forma specialis anaemia perniciosa vocatur, quae senes utriusque sexus imprimis infestat. Gravitas et lassitudo non mediocris, vultus et totius corporis decoloratio, glutiendi difficultas, uredo linguae, diarrhoea, ataxia hunc morbum indigitant.

Magna sagacitate et prospero cum successu rem adgressi sunt viri medicinae partem illam profitentes quae ipsos morbos cognoscendi, discernendi ac feliciter curandi docet. Primum enim methodum reppererunt, qua medulla ossium, ubi cellulae sanguinis nascuntur, accuratius inquiratur: sternum acu tubulato perforatur et syringis ope aliquot frustula medullae exsuguntur. Quae frustula variis coloribus tinctorum et per microscopium contemplata cellularum immutationes huic morbo proprias sat luculenter ostendunt. Non absurde perniciosa nuncupabatur haec anaemiae species propter in-

faustum morbi cursum, donec duo viri Foederatis Americae Civitatibus oriundi invenerunt, quod crudi jecoris esu sanari queunt aegroti. Cum autem plerique hunc cibum mox fastidirent nunc pharmaca ex jecore confecta aut alia medicamina eandem efficaciam habentia iniciuntur. Et brevi temporis spatio elapso inclinata in melius valetudo esse solet.

Chlorosis est sanguinis infirmitas, qua puellae et muliericulae plerumque laborant. Oritur ex inopia ferri et proinde anaemia sideropenica merito vocari potest.

Metabolismo ferri altius investigato et clarius perspecto therapia nunc simplex, facilis, efficax est: sales ferrati soluti aut per os dantur aut in venas iniciuntur. Infirmas post paucas plerumque injectiones meliusculae esse incipiunt et duarum vel trium hebdomadam spatio fere sanatae sunt. Transfusiones sanguinis in hoc morbo haud secus ac in anaemia perniciose perraro adhibentur.

Attamen ad aegros, quos leucaemiae vocant, quique abnormi albarum cellularum multiplicatione se in conspectum dare solent, remedium non jam inventum est. Et quot in hoc opus summorum virorum conatus? Quanti eundem in finem praestantissimorum ingeniorum parati labores? At infausto adhuc successu. Magno cum animi dolore nos Aesculapii discipuli cernimus omnes hoc taetro morbo affectos non raro juventute adhuc florente vehementer vexari et miserrime succumbere.

Medicamenta tamen non desunt, quibus adversa valetudo magnopere sublevatur et vitae spatium paulum prorogatur. In hac remedium silva praeeminentem obtinet locum humor ille salutifer et vegetans, quem neque medicamentarius neque officina pharmacoepa toto orbe terrarum conficere potest. Humorem dico, quem ipsa natura parat et accurat quemque proximus caritatis officio motus muneratus est.

Dctor. GUSTAVUS WALLNER
Vindobonae in Austria
Hansi Nase - Gasse 3
A - 1190 WIEN

BIBLIOGRAPHIA

ZARDO, J. — *Carmina omnia Latina*, curavit ac primum edidit Aemilius PIOVESAN, Tarvisii [ex officina "La Tipografica"] 1967, pp. 94.

Joannes V. Zardo nobilis fuit scriptor ac poëta latinus, omni studiorum genere peritus; in primis litteras graecas et latinas diligenter docuit in Seminario Tarvisino et in civico Gymnasio.

Praeclarus vir Ae. Piovesan quae recondita erant poëtae carmina necdum in lucem edita, summa diligentia vulgavit; unum et triginta numerantur carmina, quorum, quae breviora sunt, elegantiora videntur.

PIOVESAN, AE. — *De aliquot poëtis latinis XVII - XIX saeculi*, Opi-tergii, 1966, pp. 14.

His pagellis viginti quinque recensentur poëtae latini qui saeculo XVIII et XIX fuerunt; eorum curriculum vitae breviter narratur; carmina sive propria sive translata memorantur. Maxima pars poëtarum in Seminario Patavino litteras latinas didicerunt, quas et ibi plures eorum tradiderunt.

Ob arduam poëtae scribendi rationem nonnulla verba explicari nequeunt: ex quo etiam factum est ut haud pauca in appendice alia proponantur ratione.

PIOVESAN, AE. — *De Ubaldo Bregolini poëta*, Lovanii [Universitas C.], 1969, pp. 137-164.

Hac commentatione U. Bregolini ab oblivione vindicatur, qui a. 1722 in agro Tarvesino ortus, et acri ingenio refulsit et praeclara sui amoris in lit-

teras humanas prodiit monumenta. In Seminario Patavino litteras sacrasque disciplinas didicit, doctorque est renuntiatus. Deinde Tarvisii, Bergomi, tandem Venetiis litteras classicas explicavit: in eaque urbe m. sept. a. 1807 Domino spiritum reddidit.

Numerantur ejus carmina quae exstant, quorum sex subinde describuntur: Satira, Elegia ('Abusus botanicae'), Hendecasyllabi, Ode...

SÁNCHEZ VALLEJO, F. — *Caelum ipsum petimus stultitia*, libellus altero praemio ornatus in Certamine Capitolino XVIII - MDCCCCLXVIII, curante Instituto Studiis Romanis provehendis.

'Ibam forte Via Sacra' —narrat hujus scripti auctor— ac per eam duos comitabatur amicos, quos pridie ad Fossam Trajanam —*Fiumicino* nunc dicunt— laetus exceperat. Sermo inter amicos conseritur et in multas nostrae aetatis et antiquae civitatis res incidit: quas dum per forum ambulantes maxima affectus admiratione Aloisius contemplatur et artium ac litterarum monumenta perpetuis cumulat laudibus, Andreas, contra, amicum irridet et inventa recentissima dilaudat. Colloquium vehementius protrahitur cum ad audacissima nostrorum hominum facinore deducitur qui, in proposito tenacissimi, se parant ut, multis superatis obstaculis, tandem in lunam desiliant eamque explorent.

Cum autem vesper tenebris jam forum obduceret, communi sententia 'dialogum' in proximum diem ad Villam Hadrianam, in colle Tiburtino sitam, iterum se conserturos spon-

dent. Postridie duo amici una cum libelli scriptore Villam invisunt, ibique jam non sermo sed vera oritur disceptatio: quae crescit et exardescit ex argumentis quae ex una parte prodeunt et in contrariam projiciuntur ut adversarium evincant. Laudat hic bona et commoda, vituperat ille incommoda et pericula quibus plena sunt et erunt proxima jam in lunam aëria itinera. — Multa in docta sermocinatione inseruntur quae altiorem animi cultum de rebus antiquis et hodiernis duorum amicorum expriment.

Nunc vero si ad libelli scriptorem animum convertas eumque judicare velis, rem haud facilem te assumpsisse monebo. Est enim “stili magister” —fuit et olim litterarum classicarum professor—. Ejus in narrando facilitatem et subtilitatem statim percipies: nullum orationis fucum, nullum in legendo offendes impedimentum: ubique tibi plana et sincera defluet oratio. Quod si tu non *ex arce Capitolina* magistrum linguae latinae benigne aspicias, sed ‘ex adversa’, et in tricis grammaticae et verborum quasi arroganter eum perscrutari contendis, oleum te perdere mihi videris. Noli Patrem Felicem interrogare a quo lexico —Forcellinii, Ducangii, Badellinii, nostrae aetatis recentissimi—, nonnulla sumpserit verba aut num e mente sua proderit, noli in manus tuas grammaticam accipere ut minutias minutatim expendas et inquiras num haec dicendi forma fines exsiliat aut vincula perfringat *tuae* grammaticae, noli pervestigare num in antiquis vocibus novos quosdam insolentesque immisceat sensus. Ipse tibi subrideat dum mentis ineptiora nimium curas. Sermo ad id natus est —ita ille, credo— ut commode et statim rem quam in mente habeo amicis prodam, non

ut tantis minusculisque praepediari impedimentis: si nimius expolitiorque cum Caesare fias, sermo latinus e manu, e corde, e labris discedet tuis: quod gravius profecto est quam aliquando —ut tu criticus existimas— peccare. Loquamur lingua latina et parum de illis sapientissimis grammaticis curam habeamus.

— Mihi crede, o bone, P. Felicem bene salvere jubeas eique horteris ut *sua* ‘via sacra’ ire numquam desinat.

M. Tulli Ciceronis opera omnia quae exstant critico apparatu instructa, consilio et auctoritate Collegi Ciceronianis studiis provehendis, sump-tibus Arnoldi Mondadori:

- *M. Tulli Ciceronis Tusculanarum disputationum libri quinque*, H. Drexler recognovit, pp. 292, L. 3000;
- *De officiis*, P. Fedeli recognovit, pp. 229, L. 3000;
- *De re publica*, P. Krarup recognovit, pp. 199, L. 2800;
- *Cato Major de senectute*, M. Bonaria recognovit, pp. 86, L. 1500;
- *Timaeus*, Fr. Pini r., pp. 58, L. 1500;
- *Poetica fragmenta*, A. Traglia r., pp. 142, L. 2000;
- *Pro Sex. Roscio Amerino oratio*, P. I. Enk r., pp. 111, L. 1500;
- *Oratio cum senatui gratias egit*, I. Guillén r., pp. 61, L. 1500;
- *Pro M. Fonteio oratio*, I. Garuti r., pp. 55, L. 1200;
- *Pro C. Rabirio Postumo oratio*, I. C. Giardina r., pp. 46, L. 1000;
- *De haruspicum responsis oratio*, A. Guaglianone r., pp. 70, L. 1500;
- *Pro P. Cornelio Sulla oratio*, I. E. Pabón r., pp. 63, L. 1500;

- *Pro M. Tullio oratio*, I. Garuti r., pp. 28, L. 800;
- *Pro A. Caecina oratio*, A. D'Ors r., pp. 58, L. 1500;
- *Pro L. Flacco oratio*, F. Zucker r., pp. 84, L. 1500;
- *Actionis secundae in C. Verrem*, H. Bardon r., pp. 97, L. 1500;
- *Epistularum ad familiares*, Liber VIII, I. Bayet r., pp. 67, L. 1500; L. IX, I. P. Vallot r., pp. 73, L. 1500; L. X, G. Bernardi P. r., pp. 86, L. 1500; L. XI, Ae. Pianezzola r., pp. 62, L. 1500; L. XII, D. Nardo r., pp. 69, L. 1500; L. XIV, D. Nardo r., pp. 39, L. 800; L. XV, T. Bertotti r., pp. 70, L. 1500; L. XVI, T. Bertotti r., pp. 54, L. 1200;
- *Epistula ad Octavianum* [Ps. Cic.], R. Lamacchia r., pp. 84, L. 1500.

In his institutis quae linguae latinae causam strenue ac viriliter defendunt, praecipuum locum *Institutum studiis Romanis provehendis* in primis obtinet: cum sedes sit primaria congressuum internationalium de lingua latina, ac multa suscipiat opera ex quibus et ad sustinendam antiquitatis memoriam et ad novas excitandas et perficiendas rerum et scriptorum investigationes quasi natum sit semperque paratum.

Collegium autem *Ciceronianis studiis provehendis*, quod in ipso studiorum Romanorum Instituto ortum est, arduum et spinosum perficiendum statuit negotium omnia Ciceronis opera quae extant edendi ac pervulgandi: quodopersosum sane opus maxima ex parte ad exitum perductum est assidua Guerini Pacitti diligentia, qui suum ab Actis "Collegii" munus cumulatissime explevit et impensa Editoris Arnaldi Mondadori

opera, qui huic negotio absolute exsequendo totus incumbit.

Qui sint autem libri recens editi —iique nobis in promptu— supra referimus.

Quod si de singulis libellis ratio legentibus esset reddenda, longius nimium iter nobis emittendum esset: haec tamen exponenda censemus. Haec Ciceronis editio romana iis ornatur virtutibus quibus et aliae editiones criticae. Praefatio de libro aut de oratione praeficitur alte commentata, in qua in universum codices veteres et recentiores maximi momenti afferuntur; causae quibus auctor ductus sit ut quasdam lectiones exciperet unamque sequeretur scribendi rationem in genetivo singulari secundae declinationis, in accusativo plurali tertiae, in aliis; interdum de apparatu critico subtiliora significantur. Consequitur libri aut orationis textus et in ima pagina aliae lectiones et adnotationes ad res dubias explicandas adduntur.

Quae nobis summo iudicio ac diligentissima cura elaboratae visae sunt *praefationes*, sunt: Drexler (*Tusculanarum disputationum l. V*), Zucker (*pro L. Flacco oratio*), Pini (*Timaeus*), Krarup (*de re publica*), Pabón (*pro P. Cornelio Sulla oratio*), Bonaria (*Cato Major*), Guaglianone (*de haruspicum responsis oratio*), Lamacchia (*Sp.-Cic. epistula ad Octavianum*), Giardina (*pro C. Rabirio Postumo oratio*), Enk (*pro Sex. Roscio A. oratio*), Traglia (*Poëtica fragmenta*), cujus praefatio et praemonenda diligentissime conscripta sunt.

Alios hujus corporis libellos —quos scimus jam esse vulgatos— propediem legentibus *Palaestram Latinam* nos relatuos speramus.

Est et alia editio —vulgarem dixerim— qua textus latinus et interpretatio italica continentur.

His autem editionibus *Collegium Ciceronianum* principem litterarum Romanorum perpetua memoria cumulandum decrevit: quibus et linguae latinae perpetuitas confirmatur hac nostra aetate qua tot sunt vulgares homines qui artium, litterarum rerumque omnium perennia monumenta destruere conantur.

KOLEDNIK, F. — *Josephus Jurcic: Comentarii de vita et rebus gestis Georgii Kozjak, militis janitarii Sloveni, Romae* ["Pax et Bonum"] 1959, pp. 120.

Hic libellus si in manus tuas incidit, somnum non capies prius quam totum perlegeris.

Turci saeculo XV Sloveniam praedantur. In regione Carniola castellum Kozjak in summo monte inexpugnabile attollitur; in quo fratres, Marcus et Petrus, versantur. Marcus —castelli dominus, dux, paterfamilias— unum habet filium Georgiolum. Is autem quodam die —dum pater ad bellum proficiscitur ut imperatorem defendat— a "cingaro" quodam surripitur et in Turcorum regionem adducitur. Ibi in moribus et fide doctus mahometanorum, miles janitarius fit et paulo post eorum dux. Marcus quod filium suum amiserat, maximo affectus dolore, e domo et mundi negotiis se segregans, monachus in greditur monasterium Siticense.

Turci denuo Sloveniam depopulantur, qui —post multas quas passi sunt christiani calamitates— monasterium obsident. Georgius est janitiorum dux et omnia parat ut monasterium diripiat: per posticam portam ingreditur; sed clausa repente porta, capitur. Paucos dies in monasterio manet; tandem per "cingarum" Samolem —qui eum olim rapuerat et Turcis vendiderat, nunc autem in sacrum

locum miro quodam modo confugerat— novit patrem suum vivere et in monasterio versari. Georgius milites suos a pugna cessare jubet; clam in castellum cum patre redit; Turci timent ducem suum in hostem nunc conversum; in terras suas revertuntur. "Cingarus" ille amplius non apparet; Petrus —quod sua perfidia venundatus esset Georgius— paenitentia et terrore excruciatum, laqueo se suspendit.

Haec est hujus fabulae commenticiae summa, quam Josephus Jurcic, cum vicesimum ageret annum, scripsit —vixit autem ab anno 1844 ad a. 1881—. Quae ficticia historia, cum in multas Europae linguas jam conversa esset, nuper a Rev. Dno. F. Kolèdnik latine est reddita.

Narratio simplex, soluta, vivida, sine ullo in narrando impedimento semper progrediens donec ad destinata perveniat.

De latina autem interpretatione —cum animus tantopere ex argumento alliciatur— parum fortasse in legendo curabis; in universum communi sed recta et plana latinitate ornatur liber; pauca in perfectiorem scribendi rationem reddi possent.

AVALLONE, R. — *La letteratura di Roma imperiale nel primo e nel secondo secolo d. Cr.*, Antologia con introduzione, Libreria Scientifica Editrice, Napoli 1968, pp. 376, L. 6500.

Litterarum monumenta a majoribus tradita summa diligentia semper pervestigata sunt. Sunt tamen auctores qui acri ingenio ornati aliquando novas produnt vias ut veterum scriptorum opera altius considerentur.

Prof. R. Avallone, quo semper concitatur studio et quodam animi impetu —oratorio dixerim— cum de lit-

teris latinis graecisque agit, novam nunc aperit signatque semitam, qua vehementer asserit litteras graecas, ab anno quo Corinthus deleta est (146 a. Chr. n.), in campum litterarum latinarum vere ac proprie ingredi in iisque quasi quoddam caput in historia litterarum romanarum plene comprehendendi. Ergo ab illo anno 146, et in primis Augusti aetate et deinceps, una est historia litterarum latinarum quae et litteras proprie latinas continent et graecas. Sunt enim haud pauci scriptores qui natione Graeci, Afri, Hispani Romae tamen docent, aut scribunt lingua graeca et latina. Cum enim Imperium Romanum latius in dies regionibus potiretur easque in provincias redigeret, romanus quoque sermo amplius propagatus est et universalis effectus, totiusque Imperii scriptores —Romani, Italici, Graeci—, graeca scribant licet lingua aus latina, omnes uno comprehenduntur Imperio Romano et in una litterarum historia computari debent.

Haec sunt praecipua mentis cogitata quae Prof. Avallone in proemio exponit (pp. 1-46) sapienti et 'critico' dixeris iudicio —nam principes litterarum latinarum auctores horum temporum recenset, carpit ac saepe confutat—, ac firmiter contendit et Christum quodam modo esse Romanum —sub dicione romana natum—, atque scriptores christianos et illos qui graece et qui latine scripserunt summo jure ad historiam litterarum latinarum pertinere.

Quam deinde secutus normam Christum quoque —ex Matthaei evangelio— aliosque veteres scriptores christianos una cum aliis paganis —sive Graeci latina scribant lingua, sive Romani graeca— in libro recenset eorumque loco selecta alumnis et legentibus proponit: in quibus Phaedrus, Petrus, Paulus, Lucas, Seneca,

Petronius, Persius, Statius, Quintilianus, Clemens Romanus, Martialis, Tacitus, Plinius J., Juvenalis, Suetonius, Apulejus, Marcus Aurelius, M. Felix, Tertullianus, Acta Martyrum.

Enimvero, quae Prof. R. Avallone in praefatione fuse disputat haud facile pondere gravari quis negare poterit ejusque argumenta infirmare; non deerunt tamen qui quaestionem dicant sub alio et alio rerum aspectu considerari ab iis qui historias litterarum latinarum componunt; quod si universa exponatur illius aetatis historia litteraria, sine dubio etiam scriptores qui graece scripserunt vere in historia litterarum romana esse computandos credimus.

DEVOTO, G. — *Storia della lingua di Roma* — Istituto di Studi Romani—, Bologna, Cappelli, 1969, pp. 429, L. 10.000.

Non est nostrum de hoc praestantissimo libro existimationem ut critici proferre, neque singulas enarrare virtutes quibus instruitur, sed id tantum legentibus nuntiare Jacobi Devoto *Historiam linguae Romae* —quam jam diu multi desiderabant— iterum prostare venalem. Institutum Studiorum Romanorum opus "anastatica" ratione denuo edendum curavit.

Praecipui qui de historia linguae latinae libri nostra aetate prodierunt, computantur: A. Meillet, *Esquisse d'une histoire de la langue latine*, Paris [Klincksieck] 1966; V. Pisani, *Storia della lingua latina*, I, Torino [Rosenberg] 1962; G. B. Pighi, *Storia della lingua latina*, Torino [Enciclopedia clas. SEI, II, 6] 1968; E. Stolz - A. Debrunner - W. P. Schmid, *Storia della lingua latina* —trad. Benedikter - Traina, appendice: *La formazione della lingua letteraria latina*

di L. M. Trousikij, Bologna [Pàtron] 1968; quibus addi potest: J. Cousin, *Evolution et structure de la langue latine*, Paris [Les B. Lettres] 1944. In his autem praestantem quidem locum obtinet *Historia* a Devoto composita; ex recto iudicio quo mutationes linguae—in vocabulis, in phonetica, in syntaxi—ejusque progressionem exponit, ex justa aestimatione qua illa linguae facta interna et externa in singulis aetatibus perpendet, ex diligenti studio quo syntaxis ac vel stilisticae elementa scrutatur quibus lingua latina aetate in primis Ciceronis ad summam pervenit perfectionem.

In opere autem perlegendo jucundum tibi erit illam confirmare connexionem quae inter linguae progressionem et perfectionem cum singulis scriptoribus intercedit, qui et ipsi in lingua perficienda et ornanda maximum habuerunt momentum et auctoritatem.

Id tamen fortasse desiderabis ut in hac editione, quae eadem est ac quae anno 1944 typis excusa, novi qui deinde vulgati sunt libri, in ea appendice quae *Bibliografia* inscribitur, adderentur.

J. M. MIR, C. M. F.

BARABINO, J. — *P. Rutilii Lupi, Schemata dianoeos et lexeos*. Saggio introduttivo, testo e traduzione. Istituto di Filologia Classica e Medioevale, Università di Genova, 1967. Pag. 211.

Non nulla ad cognitionem hujus operis ad artem rhetoricam de figuris seu schematis spectantis praebeamus. In duas opus dividi potest partes quarum prima per ampla exstat introductio, ubi de Rutilio Lupo ejusque vita et opere rhetorico agit J. Barabino testimonium Quintiliani quasi

vestigia persequens; quod testimonium explicat ante oculos quoque habens recentissimorum investigatorum sententias (p. 9-12). Insequentibus paginis "figurae verborum" tamquam in indicem redigere auctrix conatur in quinque familias quae oratorum graecorum sectis respondent. Itaque primam familiam figurae gorgianae constituunt et figurae forte gorgianae quae primum apud Rutilium constant; secundam, figurae scholae rhodiensis; tertiam, schemata seu figurae raro a rhetoribus memoratae Rutilio Lupo aetate inferioribus; quartam, *schemata lexeos* a rhetoribus rhodiensibus ut *schemata dianoeos* considerata; quintam, schemata quae primum apud Rutilium Lupum apparent. J. Barabino unumquodque schema seu figuram summa eruditione explicat atque investigat. Quod maximum totius operis meritum videtur, cum hucusque nondum schema quodque rutilianum perquisitum sit cum superiore et insequenti rhetorica collatum (p. 13-74), omnibus accuratissime perspectis et oratoribus atticis et oratoribus qui ad aetatem Diadochorum pertinent e quibus exempla Rutilius Lupus excerpserat (p. 75-144). Reliquis libri paginis textus latinus continetur praevio indice siglorum, apparatu critico, interpretatione italica, indice auctorum instructus (p. 145-210).

GAGE, J. — "*Basiléia*", *les Césares, les Rois d'Orient et les "Mages"*. Les Belles Lettres, Paris, 1968. Pag. 392.

Septem hujus operis capita ex lectionibus exorta sunt quas inde ab anno 1956 Prof. J. Gagé habuit in Collegio Francogallico (Collège de France) de cultus imperialis institutis in iis quae ad nonnullos rei adspec-

tus ideologicos, charismaticos thaumaturgicosque potestatis ab imperatoribus romanis exercitatae necnon ad auctoritatem momentumque doctrinarum astrologicarum atque quorundam nobilium astrologorum.

En tibi septem capitum index: I. — Le triomphe de Germanicus et les secrets astrologiques de Caligula. II. — De Thrasyllus à Balbillus: Tibère contre les Rois; l'astrologie royale au service de Néron. III. — Vespasien entre le Sérapéum d'Alexandrie et les intrigues de Commagène. IV. — Trajan en Syrie et l'oracle d'Héliopolis. V. — Horoscopes impériaux et thèmes astraux d'Alexandre. VI. — "Héliopemptos": Les propagandes oraculaires en Orient vers le milieu du IIIe. siècle: L'attente du Nouvel Alexandre ou le thème d'un "retour de Néron. VII. — Les prêtres solaires au IIIe. siècle ap. J. C.; la place des "Mages" dans les mystères de Mithra.

Unumquodque libri caput quam plurimis omne genus adnotationibus illustratur quae praeter indicem de re universa, indicem imperatorum romanorum, regum vel dynastiarum, indicem veterum scriptorum praecipuorum locorum memoratorum (textuum litterariorum, inscriptionum graecarum ac latinarum aliorumque documentorum archaeologicorum) magnae utilitati erunt studiosis quorum populi romani religionem alte cognoscere magni interest.

PÉREZ RIESGO, J. — *Jenofonte, Anábasis, libro I, 4.* edit. Textos Clásicos anotados GREDOS, Madrid, 1968. Pág. 77.

Cum abundare non soleant in patria nostra textus scriptorum graecorum ad usum scholasticorum, salvere hanc Xenophontis libri I editionem

jubemus, quam Prof. J. Pérez Riesgo alumnus Baccaureatus praeparavit.

Nobis quidem non arridere non potest auctoris introductionem, quamvis brevem, prout liber scholaris id expostulat, valde fore utilem ad cognitionem Xenophontis ejusque vitae atque institutionis, expeditionis militum mercennariorum graecorum Cyro rege duce eorumque ad patriam reditus, operum Xenophontis praesertim Anabaseos ejusque stilisticarum in dicendo proprietatum. Quam arbitramur editionem, alumnis primae laurea assequendae destinata, utiliter ab eis faciliterque lectum iri, si annotationibus usi fuerint atque lexico extremi operis, quo nomina propria difficiliora ad historiam, geographiam, instituta spectantia et satis et sobrie explicantur.

HAURY, A. — *Cicero, Orationes in Catilinam.* Presses Universitaires de France, 1969. Pag. 200. 15 F.

Augustus Haury, Professor in Facultate Litterarum et Scientiarum Humanarum quae in urbe Burdigala (Bordeaux) sedem habet, pulcherrimum exaravit volumen quattuor orationes in Catilinam continens, introductione commentarioque instructum.

In introductione primum auctor investigat quo modo Romae res publicae sese haberent cum adversum eam optimatesque rei publicae Catilina novis rebus studens conjurationem conflavit (p. 1-4). Ampla deinde datur praecipuorum librorum notitia qua editiones, lexica, opera universa, lucubrationes de Cicerone, quaestiones variae, codices ceteraque conferuntur (p. 15-23); quibus tres insequuntur appendices hoc ordine: a) "In senatu in toga candida" seu oratio minus certe nota anno 64 a Cice-

rone habita; b) "De consulatu suo" (fragmentum); c) Catilinae descriptio a Sallustio (Sall. Conj. Cat. 5, 1-8) facta; d) Quattuor orationum compendium (p. 24-37). Denique unaquaqueque invenitur oratio praevis testimoniis instructa atque brevi apparatu critico commentarioque cum varii generis de re grammatica, historica, sociali, politica, institutis ceterisque annotationibus (p. 39-195). Indice nominum explicit opus (p. 197-198) quod Palaestrae Latinae amicis dignum quod legatur vere atque ex animo commendamus.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

STOLZ-DEBRUNNER-SCHMID. — *Storia della lingua latina*. Ed. R. Pàtron, Bologna, 1968. Pag. 236.

Linguae latinae Historia jam inde ab anno 1911, quo anno primo a F. Stolz in vulgus edita est, classica apud omnes rerum latinarum studiosos inter ejusmodi opera devenit. Ex qua insuper variae prodierunt editiones, tum germanicae, tum hispanicae, italicae, cet. Summe, ut notum est, Stolz Historia lingüistica historica et comparata, quam dicimus, nititur, quam ob rem magno usui harum rerum studiosis viris semper fuit. Italicae versionis hujus operis, quam domus editrix Pàtron vulgandam curavit, ponderosam quamdam praefationem A. Traina praeficit, in qua quantum in se habeat boni et mali grammatica historico-comparativa, exponit. Huic introductioni abundans index bibliographicus subsequitur cui et novi libri adjecti sunt, opere praecipue A. Traina qui versionem recognovit et textum quibusdam adjectis auxit. Postea, libro jam paene exeunte, J. M. Tronskij de constitutione linguae latinae litterariae optime dis-

putat. Nec, tandem, diversi desunt indices: verborum latinorum, nominum rerum. Uno verbo, hac italica editio melior illa germanica operis clarissimi viri Stolz variis in locis facta est.

BIELER, L. — *Historia de la literatura romana*. Ed. Gredos, Madrid, 1968. Pág. 329.

Anno 1965, cura notissimae Berolinensis domus editricis Walter de Gruyter, in lucem prodibat altera hujus L. Bieler libri editio cujus germanicus titulus hic erat: "Geschichte der Römischen Literatur". Nunc M. Sánchez Gil eum in hispanicum convertit et domus editrix Gredos linguae hispanicae lectoribus legendum offert. In praefatione brevi sed ponderosa, L. Bieler optime litteras latinas a litteris romanis sejungit et de romanorum litteris in suo libro proprie disputari plane affirmat. Sed romanos intellegit auctor omnes eorum populorum homines qui romanorum cultum et doctrinam acceperunt, ut qui Italiam ab anno 91 incolebant, Hispaniam ab ineunte saeculo I p. C., Africam a saec. II et Gallias a saeculo III. Et non tantum, quas bonas litteras dicimus, tractat Bieler, sed etiam, de technicis et scientificis mentionem facit. De rebus vero ad historiam, ad philosophiam, ad rhetoricam pertinentibus, fusius agit. Librum in duas partes divisum invenies, quarum altera rei publicae temporibus, altera vero Imperii respondet.

LESKY, A. — *Historia de la literatura griega*. Ed. Gredos, Madrid, 1968. Pág. 999.

Magnum, quod nuntiamus, volumen notissimo clari Prof. Lesky operi res-

pondet, quod, ex altera germanica editione in Hispanicum a J. Diaz et B. Romero conversum, tandem a domo editrice Gredos in lucem editum est. Quamvis liber methodum et rationem sequatur quae in aliis similibus libris usurpari solent, res tamen quae tractantur quasi diversae sunt. Historiam litterarum graecarum contexere — omnes id norunt — opus difficillimum est. Plurimi sunt auctores adeundi, plurima eorum opera legenda quo saepissime fit ut neque auctores neque opera ipsa penitus explicari possint. Sed hoc professori Lesky laudi tribuendum est quod, cum tot et res et facta recenseat, ejus Historia quoddam quasi monumentum evadit omni litterarum graecarum viro studioso necessario evolvendum. Auctores graecos inde ab Homero usque ad Imperii tempora ordine tractat Lesky et res cujusque generis suo loco notantur. Ipsos vero scriptores eorumque opera non separatim agitat auctor, sed magni quoque adjuncta temporum, locorum aliorumque habet: quae unicuique temporum ordini et auctoritati tribuenda sint, quid hodie auctores de graecis scriptoribus sentiant, summa scientia et doctrina exponit; summae ei curae sunt novae papyrorum inventiones; cujusque scriptoris operum et virtutum summam quamdam facit qua studiosi viri facile de his rebus certiores fieri poterunt. Ac etiam, quod rite factum judicamus, cl. Professor Lesky copiosam et selectam librorum descriptionem exponit, optimis comentariis instructam. Hoc volumen percommode legitur, nam accuratissime editum est.

JESÚS ASPA, C. M. F.

SANTA CRUZ TEIJEIRO, J. — *Digestiones romanísticas en torno al epistolario de Séneca a Lucilio*. Ed. Bello C/Comedias, 20, Valencia, 1969. Pág. 71.

Huic brevi opusculo fidem ac gravitatem praestat auctor qui studiorum Universitate Valentiae jus romanum tradit, quique suam lucubrationem in lucem hodie edit tantum ut primum monumentum investigationis epistularum Senecae in Lucillium; hoc enim volumine Prof. Santa Cruz res annotationesque ad futurum librum sibi fusius conscribendum sapienter confert.

Opus tamen tantum spectat ad id quod in Senecae ad Lucillium CXXIII epistulis juris peritorum curiositatem emovet. In extremo opusculo absolutum indicem omnium juridicorum verborum in eo usitatorum invenies.

RAMNOUX, C. — *Héraclite ou l'homme entre les choses et les mots*. Deuxième édition. Ed. Les Belles Lettres, Paris, 1968. Pag. 465.

Nostra aetate, nonnulli philosophiae studiosi, investigandi ratione ac cupiditate permoti, per plurimas scripserunt disputationes ad verbum linguamque spectantes; verbum enim est, ut dicunt philosophi illi, quod in homine humanissimum inest, Aristotelisque etiam iudicio, homo λογικὸν ζῷον appellatur, scilicet, cui verbum est. Heraclitus autem, verbum et res singulares dolosam aestimat viam in qua quod est ("el ser") latens invenitur. Nostris tandem temporibus Martino Heidegger, Heracliti studiosissimo, verbum illius quod est quasi domus esse videtur.

Haec aliaque similia sapit hic liber cui superiore editione hic index erat: "Vocabulaire et Structures de pensée

arcaïche", attamen novissimae editionis index accuratius operis propositum significat.

C. Ramnoux ad lauream obtinendam librum comparavit, in quo circiter quinquaginta annorum investigationibus praesocraticis usus est ut quam accuratissime Heracliti fragmenta quae collegerat interpretari posset, quod —sententia mea— luculenter eruditeque adeptus est; nam magno apparatu critico librum instruxit, fragmentorumque fontes seu apud alios philosophos locos memoratos rite in appendice adnotavit. Copiosam librorum ac dissertationum notitiam ad Heraclitum aliosque philosophos praesocraticos spectantium in extremo libro reperies. Ex indicis titulis commode cognosces qua ratione auctor fragmenta Heracliti disposuerit:

I. — La Veille et le Sommeil. II. — La Vie et la Mort. III. — L'Homme et le Dieu. IV. — La Mémoire et l'Oubli. V. — L'Amour et la Haine. VI. — La Présence et l'Absence. VII. — L'Être et le Non-être. VIII et IX. — La Parole et le Silence. X. — Naissance de l'âme. XI. — Le Sens de l'Énigme. XII. — Les Fragments religieux.

Auctor vero, quamquam lauream obtinendam sibi proposuerat, opus perfecit quod, —ipsius auctoris verbis— infinitum videtur quodque in dies amplificatur. Librum dum legimus, hoc vehemens auctoris studium laborandi ejusque Heracliti cognitionem atque comprehensionem invenimus.

BOWERSOCK, G. W. — *Greek Sophists in the roman Empire*. Clarendon Press. Oxford, 1969. Pag. 140. Price 38 nets.

Anno MCMLXVI in sede littera-

rum humaniorum Oxonii Studiorum Universitate Prof. Bowersock tradebat disputationes quarum hoc erat argumentum "Sophists and the Roman Empire in the Second Century A. D.". Ex his tamen disputationibus liber tibi legendus ortus est. In opere, quod omnino verbis historicis est exaratum, gravi ac ponderosa eruditione agitur de graeci cultus ad vitam renascenti saec. II et III post Chr.n. Hac aetate litterae humanae viguerunt neque parvi momenti imperio romano fuerunt; qua ratione auctor reprehensione dignas existimat eas "Alterius Sophisticae" commentationes quibus de sophistis illis agitur tamquam alienis imperio romano ejusque rebus. Itaque scripsit auctor de sophistarum urbibus earumque singularibus beneficiis, de imperatorum cum sophistis necessitudinibus, de Juliae Dominae conventu sophisticum deque aliis proprietatibus litterariis. Quae omnia in Imperii historiam generalem rite contulit auctor, namque aliter romanorum historiam intellegere nequivisset.

MOURA, F. — *Vocabulaire Fondamental de Portugais pour Etrangers*. Université Catholique de Louvain, 1967. Pag. 106.

Hujus lexicis auctor, lusitanus qui domicilium constituit in Belgio, linguam patriam abhinc sex annos tradidit in studiorum Universitate Lovaniensi (Institut des langues vivantes); quapropter peculiare difficultates, in quas saepius incurrant advenae lusitanam linguam ediscere conantes, penitus cognoscit. Hac ergo adductus experientia, selectionem ex mille et quingentis verbis constantem offert. Quo lexico quidem uti possunt et studiosi lusitanum sermonem ediscetes, aut laboris necessitate com-

pulsi aut curiositate, et qui delectationis tantum causa per Lusitaniam iter faciunt.

F. Moura praecipue usitatiora verba quibus res cotidianae seu domesticae exprimuntur scripsit.

Videtur sane hoc lexicon ad lusitanum cultum bene callendum praestans futurum esse adjumentum quo auctor hujus studiorum sedis lemma rite adimplebit: "homines sese tanto magis amabunt quanto strictius lingua devinciantur".

VERNEAUX, R. — *Historia de la Filosofía Moderna*. Edit. Herder. Barcelona, 1968. Pág. 234.

GRISON, M. — *Teología natural o Teodicea*. Edit. Herder. Barcelona, 1968. Pág. 256.

Qua semper Prof. R. Verneaux praestitit perspicuitate in exponenda doctrina, in hoc volumine historiae "philosophiae recentioris" ea quoque perfulget. Nihil est quod in hoc libro supersit; sed nequaquam id mirari debemus, haec enim historia a peritissimo Sancti Thomae studioso viro exarata est. Hoc credimus optimum hujus libri esse meritum; idemque dicendum existimamus de altero libro cui index "Teología natural o Teodicea" a Michaele Grison perspicue conscripto. Unus et alter inscriptus est in collectione cui index "Curso de Filosofía Tomista", quam, duos abhinc annos, domus libraria Herder edere coepit.

Primus vero, proprietatibus, quas ante demonstravimus, instructus, continet, novem tantum capitibus, descriptionem "philosophiae recentioris" quae vulgo dicitur, scilicet: a Renato Descartes usque ad G. G. F. Hegel. Facillime animadvertent lectores li-

brum non peritis, sed philosophiae tironibus dicatum esse, quam ob rem in hoc opere librorum notitia, quamvis selectissima, exigua videtur.

Alteri autem libro tres sunt partes. In prima quaeritur num Deus sit (p. 27-133); in altera agitur de Dei natura (p. 137-176); in tertia tandem de Deo et mundo sapienter disputatur (p. 189-255).

Qui hujus collectionis in libris versati sunt plane adfirmant eos rationis mentisque conformationi magno sine controversia esse adjumento.

GARCÍA-SALVE, F. — *Hombrelucha*. Edit. Sígueme, Salamanca, 1969. Pág. 151.

Primum exponit auctor ad Cujus imaginem instituere velit juvenes operis lectores; deinde acriter luculenterque affirmat se neminem doloso verbo vel litterario fuco fallere velle; denique dicit sibi persuasum esse viam hominis inchoandam, continenter orando.

Vividi jure appellari possunt hujus alacris in dicendo scriptoris libri; nam fere unice ad vitam actuosam spectant; sed adeo sapienter sunt scripti ut antequam cor excitent jam mentem solide evangelica doctrina informaverint.

Libri, quem recensemus, indicem accommodatissimum juvenibus existimamus auctori gratulamur quod uno tantum verbo, "Hombrelucha", exprimere adeptus est "militiam esse vitam hominis super terram": mundum hominesque radicitus immutari fortiter indesinenterque pugnando in mendacia, mendaciola, fraudem, injuriam universamque luxuriam.

PETRUS HERRANZ, C. M. F.

CHRISTIN, J. — *Ejercicios y Retiros para adolescentes*. "Escuela de fe", col. de Pastoral Catequética. Marova, Madrid, 1968. Pág. 169.

CHRISTIN, J. — *Los adolescentes*. "Escuela de fe", col. de Pastoral Catequética. Marova, Madrid, 1968. Pág. 229.

En tibi duo libri qui sese mutuo complent. Eorum auctores — sacerdotum manus in juvenes religiose instituendos incumbentium J. Christin moderante — secessum spirituales renovare cupientes veterata veste quasi exuere conantur vividiore dicendi genere quod melius intellegant adolescentes quodque eisdem magis arrideat. Quam ob rem, praeter novam secessus spiritualis rationem atque structuram, novis etiam adjumentis utuntur auctores: discis phonographis, linearibus picturis, canticis, colloquiis ceterisque adminiculis quae ab ipsis juvenibus in coetibus saepissime usitantur.

"EJERCICIOS Y RETIROS PARA ADOLESCENTES" quod inscribitur volumen introductionem de secessu spirituali ejusque nova ratione atque praeparatione prodit (p. 9-54); quam quinque sequuntur argumenta in secessibus tractanda: De Dei donis. Missa, foederis sacrificium. De Dei vocatione. Homo novus, vita nova. Regnum Dei (P. 55-150). Conclusio et appendices (p. 151-169).

"LOS ADOLESCENTES", talis prostat alterius voluminis index. In quo ita procedunt auctores. Primum de religiosa adolescentium indole deque eorum postulatis atque necessitatibus (p. 7-78); deinde octo praebentur ad recollectionem spirituales argumenta, ut patet: Vigiliae paschalis liturgia. Christus adolescentes arces-

sit. Dei vocatio exaudienda. Quo modo singularis vita christiana obtinenda. Versus beatitudinem cum Christo. Per Domini itinera cum Joanne Baptista. Spei certamen. Vocatio ad apostolatum (p. 79-166). Denique lector materiam quoque seu argumenta inveniet brevibus meditationibus habendis colloquiisque cum adolescentibus dialogi ope conserendis.

JEAN-NESMY, C. — *Práctica de la Liturgia*. Edit. Herder, Barcelona, 1968. Pág. 272. 150 ptas.

Constitutio Vaticani II, quae "Sacrosanctum Concilium" inscribitur, ad renovandam liturgiam, eo quidem intendit ut christifideles efficienter Ecclesiae orationem communicent. Qua tamen ratione modoque percipi possunt fructus ex ritibus adeo expeditis etiam atque renovatis, si ignari sumus sensus spiritualis gestuum, incessuum, verborum ceterorumque usitatissimorum ex quibus quaeque constat celebratio liturgica?

Dom. Claudius Jean-Nesmy, qui hanc orationis disciplinam nobis expeditare exoptat, non tantum rei expositionem facit, verum etiam vivido dicendi genere actus significat quos quisque ex ordine exsequitur, quin animum eis nimis intendat, cum missam petit, ut domo exire tamquam Abraham, in ecclesiam introire, sese aqua benedicta signare, locum tenere in coetu populi Dei, pie exultanterque canere, silentio se introrsum reducere quo melius Christi sacramentum communicet.

BABIN, P. — *Los jóvenes y la fe*. Edit. Herder, Barcelona, 1962. Pág. 276. 85 ptas.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

B I B L I O G R A P H I A

CURTI, C. — *Due commentarii inediti di Salonio ai Vangeli di Giovanni e di Matteo*. Pag. 73. Lire 500.

CURTI, C. — *Salonii de Evangelio Iohannis — De Evangelio Matthaei*. Pag. 161. Lire 3000.

CURTI, C. — *Osservazioni sul "QUIS DIVES SALVETUR" di Clemente Alessandrino*. Pag. 33. Lire 750. Bottega d'Erasmus, Torino, 1968.

De duobus primis opusculis ineanus sermonem. Prof. Carmelus Curti primo volumine "Due commentarii inediti di Salonio ai Vangeli di Giovanni e di Matteo" disputationem habet de duobus commentariis nondum vulgatis episcopi Salonii; quam disputationem auctor esse contendit quamdam introductionem ad editionem criticam duorum commentariorum et quasi praeviam eorum notitiam; idcirco primum Prof. C. Curti de monumentis manu scriptis traditis agit (p. 6-20), deinde de fontibus (p. 20-60), denique de auctore cui commentaria adscribantur, id est, Salonio (p. 61-70).

Altero volumine "De Evangelio Iohannis". "De Evangelio Matthaei" quod inscribitur, primam editionem horum commentariorum Salonii Carmelus Curti apparatu critico et indicibus instruxit. Praefatio primo loco initur de Codicibus imprimis qui auctori praesto fuerunt quosque ipse contulit atque recensuit: A (Augien-

sis), C (Vindobonensis), E (Zwttlensis), M (Monacensis), N (Pragensis), (p. 7-10). Incipit Salonii commentarium "De Evangelio Iohannis", ubi textus latinus prostat quamplurimis illustratus lectionibus quae in apparatu critico ad calcem supra memoratis codicibus respondent (p. 15-103). Dein pari ratione sequitur commentarium "De Evangelio Matthaei" (p. 107-128). Et in extremo opere: Index locorum sacrarum scripturarum (p. 131-136), Index nominum (p. 137-139), Index verborum notabilium (p. 141-160), quibus volumen commodius redditur ad studiorum utilitatem.

Hoc tandem perbrevis volumine tertio Prof. C. Curti annotationes facit ad Clementis Alexandrini opusculum quod "Quis dives salvetur" inscribitur quodque est opus non tantum in se parum investigatum verum etiam minus hucusque cognitum ex omnibus Clementis Alexandrini scriptis. Quamvis parvae molis haud parvi momenti videtur commentariolum Prof. C. Curtii ad primaevarum communitatum christianarum de quibusdam quaestionibus cognitionem; Clemens enim Alexandrinus, qui traditis philosophiae platonicae novisque temporum postulatis obsecundans tot quaestiones nova quidem ratione exegetica pertractavit, hac brevi tractatione rem theologiam et ad usum vitae utilem aggreditur disputandam, qua christifidelium communitates saepe primaevis illis temporibus afficiebantur: verum divitiarum sensum evangelicum.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

Libri qui inscribuntur "TEXTOS PALAESTRA"

VENALES PROSTANT APUD OFFICINAM LIBRARIAM

EDITORIAL CLARET

LAURIA, n.º 5

BARCELONA (10)

JIMÉNEZ, Repetitorium	ptis.	70
» De Orthographia latina (altera editio).	»	20
PLANQUE-PLANAS, Gramática Griega (altera editio).	»	100
«TEXTUS» ANNOTATIONIBUS PRAEDITI		
JIMÉNEZ, <i>Historiae Sacrae compendium</i> (5 edit.).	ptis.	12
» <i>Epitome Historiae Graecae</i> (6 edit.) ...	»	12
RAMOS, <i>Corneli Nepotis Vitae</i>	»	12
MIR, <i>Ciceronis epistulae selectae</i> (2 edit.)	»	14
JIMÉNEZ, <i>Ciceronis pro Archia poeta</i> (2 edit.) ...	»	12
» <i>Ciceronis in Catilinam</i> (2 edit.)	»	12
RAMOS, <i>Ciceronis pro Q. Ligario oratio</i>	»	12
MARTIJA, <i>Vergili Aeneidos</i> (lib. II, 2 edit.)	»	16
MARTIJA, <i>Prudenti Carmina selecta</i> (2 edit.)	»	12
SARMIENTO, <i>Martialis Epigrammata</i>	»	10
ZULOAGA, <i>Horati Carmina Selecta</i>	»	14
RUIZ, <i>Homeri Odyssea</i> (lib. I)	»	14
RAMOS, <i>Xenophontis Anabasis</i>	»	12

Fundació Bernat Metge

SCRIPTORUM CLASSICORUM BIBLIOTHECA CATALAUNICA

Veterum Graecorum et Romanorum textuum editiones brevi apparatu critico instructae, necnon praefationibus notisque translationem catalaunicam ex adverso adjectam illustrantibus. Volumina nuper emissa:

- 165 Suetoni - Vides dels dotze cèsars (vol. II)
- 166 Tàcit - Annals (vol. III). Llibres V - VI, XI
- 167 Polibi - Historia (vol. II). Llibres XI - XII.
- 168 Xenofont - L'expedició dels deu mil (vol. I).
Llibres I - III.

Subnotationes mittantur ad:

EDITORIAL ALPHA, S. A.

Via Layetana, 30 - BARCELONA